SEGUANIN

IENTIA

NCTORUM

8

I - A

26

Digitized by Google

GUANIN

SCIENTIA

SANCTORUM

8

I - A

26

C.M. SHGUANIN

SCIENTIA

SANCTORUM

8

1 - A

26

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A
26

Digitized by Google



Noſſe te conſummata juſtitia eſt.
Sap. 15.

Digitized by Google

SCIENTIA
SANCTORUM
CONSISTENS IN CENTUM
SOLILOQUIIS

Quibus anima viatrix ſecundum lumen Fidei tendit ad Deum in eſsentia, infinitiſquè ejus perfectionibus cognoſcendum, & tamquam finem ultimum ſuper omnia diligendum.

PRO


Summa utilitate uniuſcujuſque Chriſtiani Hominis

AUTHORE

FR. CÆSARIO MARIA SHGUANIN

Ord. Serv. B.V.M. & Sac. Theol. Profeſs.

Editio Tertia: Prima in Latino.



Romæ Typis Generoſi Salomoni 1753.

SUPERIORUM PERMISSU.

8 · 1 · A · 26

NOBILI VIRO
Et Rm̃o Dño Abbati
ANGELO MARIÆ
DE VENDETTINIS VENDETTI

Sac. Theol. & J. V. D.

GENEROSUS SALOMONJ:

IAm pridem Tibi aliquam pro ſingularibus tuis in me beneficiis obſervantiæ

Digitized by Google

erga Te meæ ſignifica-
tionem debebam; quod
cum cogitarem aſſidue,
hærerem que, quo me
potiſſimum verterem;
id me, quoquo modo
poſſem præſtiturum pu-
tavi; ſi Opuſculum hoc,
quod è Typographia
mea prodit, Tibi Vir
Clariſſime inſcriberem;
etenim ejuſmodi illud
eſt, ut ad animos exco-
lendos, pietatemque
erga Deum fovendam
valere maximè poſſit;
tua verò ea Vitæ ratio,

me

4

moreſque tàm integri, ut cum, ad virtutis exercitationem omnes, qui Te norunt, exemplo excites, præclare nomen tuum huic operi congruere videatur. Vereor, ne in eo ipſo, in quo laboro, ut Tibi gratificer, offendam apud Te; Scio enim; quantopere latere cupias; quod tamen, ſi cætera deeſſent, propter Generis nobilitatem non potes. Verum cum modeſtiæ tuæ ita conſulis,

 illud

illud oro Te, ut meritorum erga me tuorum, aut ipſe memineris, aut me obliviſci non ſinas: alterutrum ſi feceris; moleſtum Tibi non arbitrabere; me qualicùnque hoc officio gratum erga Te animum teſtari voluiſſe.

APPROBATIO CENSORIS.

Libellum hunc cui titulus : *Scientia Sanctorum &c.* ut publici juris fiat, omniumque ſerviat ſingulariſſimæ utilitati, digniſſimum omnino, & maxime proficuum judico. auguſtæ Vindelicorum die 20. Aprilis 1736.

Franc. Joſ. ab Handl. SS. Theol. Lic. Epiſc. & Princ. Aug. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnitent. ac Librorum Cenſor nec non inſignis Eccl. ad Sanctum Mauritium Canonicus, & Parochus.

FACULTAS SUPERIORIS.

Frater Joannes Petrus Fancelli Senenſis Sac. Theologiæ Magiſter, ejuſdemque facultatis in Academia Piſana publicus Profeſſor, Epiſcoporum Examinator coram Sanctiſſimo, & totius Ordinis Serv. Mariæ Prior Generalis.

Liber, cui titulus : *Scientia Sanctorum, conſiſtens in Centum Soliloquiis, quibus anima viatrix ſecundum lumen fidei tendit ad Deum &c.* : ab adm. Rev. P. Cæſario Maria Shguanin Ordinis noſtri Sac. Theol. Profeſſore compoſitus, & germanico idiomate pridem publici juris factus, ut nunc latina lingua typis iterum edi poſſit, præſentium tenore licentiam concedimus, ſervatis ſervandis : Cujus rei gratia has manu noſtra ſubſcriptas, & minori of-

fici-

ſcii noſtri ſigillo munitas dedimus florentiæ in Conventu noſtro Sanctiſſimæ Annunciatæ die 30. Maji an. 1752.

Fr. Jo: Petrus Prior Gen. Servorum Mariæ.

Fr. Joſeph Antonius Roſſi Secr. Ord. Regiſt. &c.

APPROBATIO THEOLOGICA.

JUſſu Reverendiſſimi Patris, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, attentè legi, & revidi Opuſculum Aſceticum, intitulatum: *Scientia Sanctorum, conſiſtens in Centum Soliloquiis, quibus anima viatrix ſecundum lumen fidei tendit ad Deum &c.*: Auctore admodum Rev. P. Cœſario Maria Shguanin, Sacri Ordinis Servorum B.V.M. & Sacræ Theologiæ Profeſſore; ac in eo nihil offendi Sacris Fidei noſtræ Ortodoxæ Dogmatibus, ejuſdemque ſanæ doctrinæ, adverſum, quin potius ŏmnia utiliter tendentia ad ampliandam in terris Sanctorum Scientiam practicam, qua (: uti dudum optaverat S. Cardinalis Petrus Damianus:) *etiam in populoſa Urbe amor artifex ſolitudinem reperiat*, & ſcintillæ plurimæ è fidelium cordibus erumpant, ad accedendum illum ignem, quem Servator noſter venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi. Cenſeo proinde illud pro plurium utilitate prælo dignum. Romæ ad S. Mariam ſuper Minervam die 13. Julii Anno 1752.

Fr. Cyrillus Riga Ord. Prædicatorum Sac. Theol. in Univerſitate Vienen. Doctor Theologus Caſanatenſis manu propria.

Be-

FElicissima ſanè ſcientia, quæ felicitatem docet, ſed homo infelix, qui felicitatem, quam tantopere deſiderat, aut ſua culpa ignorat, aut mediis incongruis eam conſequi confidit. Præſens proinde opus, *Scientia Sanctorum* inſcriptum, à viro religioſiſſimo Admodum R. P. Cæſario Maria Shguanin Sac. Ord. Serv. B.V.M. S.Theol. Profeſſore conſcriptum, & juſſu Reverendiſſimi Patris Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri accuratè à me lectum, & reviſum, cum nihil contineat cenſura dignum, ſed felicitatem hominis æternam quaſi digito monſtret, media inſuper ad illam faciliter, & ſuaviter conſequendam conducibilia, ſuavem ſcilicet Scientiæ & amoris Dei ſemitam, ſuggerat, digniſſimum judico, ut ad Dei gloriam, & animarum ſalutem in publicum prodeat. Ita cenſeo Romæ ad S. Mariam Tranſpontinam 30. Julii 1752.

Fr. Bruno Tevvis à S. Antonio Ordinis Carmelitarum Doctor Theologus Colonienſis, Aſſiſtens Generalis Germaniæ.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtant. Viceſg.

IMPRIMATVR.

Fr. Auguſtinus Orſi Ordinis Prædicatorum, Magiſtri Sac. Pal. Apoſt.

AR-

Digitized by Google

ARGUMENTUM
OPUSCULI.

SAnguineis res eſt deploranda lacrymis, dum mortales ſub ingenti, vel quaſi ſinè numero vitam priùs finiunt, & transferuntur ad terminum, ſeu æternitatem, quàm noverint, cur cæperint in mundo vivere; eam namque rerum faciem præſeferunt innumeri homines, quaſi ad modicum tempus eſſent in mundo, & tandem velut jumenta deſinerent: an autem poſt mortalis vitæ terminum ſinè fine, aut in æternum felices, aut in æternum miſeri vivere debeant, neſciant, vel certò mente ſeria non recogitant. & quia ad interminabilem vitam, vel mortem æternam oculos mentis non dirigunt, hinc ipſorum cura primaria, & unica eſt, qualiter pro paucis vitæ diebus ſibi, ſeu corruptæ naturæ deſideriis, pravis appetitibus conſulant, & ſatisfaciant: qualiter bona temporalia congregent, augeant;

geant;

Digitized by Google

geant, poſſideant: qualiter corporis ſalutem conſervent, & prolongent, ipſamque mortem à ſe removeant; quin imò hanc, ſi in libertate ſua eſſet poſitum, penitus tollerent, ut ſinè fine poſſent corruptæ naturæ deſideriis, & pravis appetitibus ſenſuum indulgere ſeu ſibi in hoc mundo vivere.

Jam dum taliter gentiles &c. ſunt comparati, videtur, quod his ex parte compati oporteat; in tenebris enim ſedent, & in umbra mortis: dico tamen ex parte, *& mecum dicit univerſa Chriſtianitas, illos non eſſe compaſſione dignos: Cum re ipſa ſuper ſuis tenebris ſint inexcuſabiles; quoniam per ea quæ facta ſunt, ſempiternam virtutem, & divinitatem, ſeu unum verum Deum cognoſcere poſſunt, & debent*: ad Rom. 1: 20., *& Deus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. 1. 9. *& vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. 1. ad Tim. 2. 4. *Deus, inquam, etiam gentiles &c., modo ſibi placito illuminabit, ut noſſe poſſint, & debeant, quod non pro tempore, ſed pro æternitate ſint conditi, &*

ideo

ideo quod non oporteat finem in mundo, vel in iis, quæ hujus mundi ſunt, ſtatuere, cùm poſt vitam mortalem expectanda ſit vita nova, & interminabilis.

Dum igitur gentiles ſunt inexcuſabiles, *en hæc res eſt ſanguineis digniſſima lacrymis; in vera, & ſancta Jeſu Chriſti Eccleſia omnis homo, à ſene uſque ad juvenem, confitetur ſe ad imaginem Dei eſſe creatum, immortali anima præditum, magnoque redemptum pretio: agnoſcunt, & per quotidianam experientiam convincuntur ſinguli, ſe hìc non habere Civitatem manentem, ſed futuram inquiri debere* ad Hebr. 13. 14. *credunt omnes, unumquemque hominem reſurrecturum, & recepturum eſſe bona, vel mala, prout quiſque geſſerit in proprio corpore: fatentur omnes, poſt ſententiam à ſupremo, & immutabili Judice latam quemlibet iturum eſſe aut ad æterna Cæli gaudia, aut ad interminabilia inferni ſupplicia: medium quippe hìc nemo novit, & nemo expectat; hæc, inquam, & plura confitentur omnes veræ Dei Eccleſiæ filii, ac filiæ, & tamen ne-*

nedum gentiles, ſed & fideles ſub ingenti ſane numero, noviſſimis præſertim temporibus, vivendi finem priùs faciunt, quam noverint, aut noſſe ſerio voluerint, cur cæperint in mundo vivere: & perinde priùs abeunt in domum æternitatis, quàm ritè, & ſalutariter didicerint, cur fuerint in mundo, ut viatores nimirum, non tanquam illius incolæ perpetui; & dum æternitatem taliter ingrediuntur, æquè ac gentiles, quin & ſub longè majori reatu, quàm iſti in æternum pereunt.

Atque hoc eſt grande punctum, quod cor uniuſcujuſque fidelis, qui veritatem apertiſſimam, ſed & lugubrem, ſeriò ponderat, non intimè penetrare non poteſt, quin & movet ad compaſſionem, & lacrymas, & tantò magis, quia veritas, quamtumvis de ſe maniſeſtiſſima, utpote faciliter cognoſcibilis à ſeptem annorum puero, aut virgine, corruptiſſimis hiſce mundi temporibus rarò, aut rariſſimè, prout oportet, perpenditur; nam ecce pro addiſcendis artibus humanis; mundanis ſcientiis, peregrinis linguis, & quàm frequentiſſime pro capiendis vanitatibus, his præſer-

ſertim ſæculis, quælibet ætas eſt nata, & apta: pro conquirendis, augendiſque bonis temporalibus quilibet de utroque ſexu in gravem uſque ætatem, vel ſenectutem eſt diſpoſitus: pro obtinendis honorum gradibus ſunt plurimi, qui nulla recuſant incommoda, pro conſervanda & prolonganda ſalute corporis, nemo non, & pro omni tempore opportuna media quærit, & adhibet: in his proinde omnibus dum ſæpiſſime varias magnaſque arduitates ſubire, & frequenter diu tolerare oportet, ardua tamen quæcumque tolerantur, & vincuntur; quoniam, qui artem, vel ſcientiam quærunt, vel qui cupiunt temporaliter diteſcere, aut conſcendere gradus honorum, vel diu prolongare vitam temporalem, non attendunt ad ea, quæ ſuſtinent, ſed habent cor appoſitum, & affixum illis objectis, quæ conſequi, & poſſidere deſiderant,

Aſt ubi agitur de ſcientia, vel notitia, orthodoxæ fidei profeſſoribus præprimis neceſſaria, deficiunt homines; & quidem de utroque ſexu; omni conditione, ac ætate admodum multi. & propterea admodum multi fideles vitam mor-

mortalem priùs finiunt, & tranſeunt ad æternitatem, quàm noverint, vel didicerint, cur fuerint in mundo; hæc quippe ſcientia in ſingulis Chriſtianis primitus & ante omnia requiritur, Deum Mundi Conditorem, ac Redemptorem per fidem cognoſcere, & prout oportet adorare, ſervandoque mandata non gravia, & faciendo bona opera ad Deum unum ac trinum, tamquam ultimum finem ante omnia, & pereniter tendere. Hæc eſt ſcientia hominibus ad ſalutem æternam ſeriò aſpirantibus ſummè neceſſaria, pro qua addiſcenda, & praticanda non exigitur, ut homo in via ambulans multa, vel gravia vitæ incommoda ſuſtineat, aut magnas arduitates ſuperet, quin imò eadem ſcientia repletur ſolatiis, & dulcedine animi, abundatque cœleſtibus gratiis; & tamen ſcientia tanti momenti, ſummè, neceſſaria, & acquiſitu facilis, ab innumeris Chriſti fidelibus de utroque ſexu, omni conditione, ac ætate pro merito non æſtimatur, imò frequentiſſimè negligitur: & ideo, prout iterato dixi, admodum multi fideles in domum æternitatis priùs abeunt, quàm nove-

noverint, cur mundum fuerint ingreſſi: atque hinc, ex iſto capite, de ſalute æterna quàm maximè periclitantur.

Cùm igitur ſuper ſcientia unicuique veram Jeſu Chriſti fidem profeſſo homini primitus neceſſaria res ità ſe habeat, hinc conſtitui parare præſens opuſculum, in quo anima viatrix, prout Deum unum & trinum in eſſentia, infinitiſque perfectionibus contemplans, ſub perfecta Charitate erga ipſum tendens, ac perinde ſe ad meliora reſolvens inducitur. Hìc autem non eſt neceſſum multa ſimul legere, quia ex quolibet cujuslibet Soliloquii numero materia parabitur, ut quivis à ſene uſque ad juvenem, aut virginem per proprios, & pios cordis affectus ad Deum tendere, & ſe ad meliora pro praxi reſolvere valeat: quanta enim eſt Dei Opt. Max. cognitio, tanta eſt ejus æſtimatio: ad hujus autem menſuram, Dei, ſummi, & unici boni dilectio ſequitur, ex quo radicatur filialis timor, nè Deum perfectè cognoſcens, & amans, prout in via eſt poſſibile, per peccatum divinam ejus Majeſtatem offendat, & divertat à fine ſuo ultimo. Et hæc dicta

cta ſufficiant pro argumento iſtius opuſculi, dum interea unicuique fideli largam de Cœlo benedictionem precor, &, ſicut mihi, ſic omnibus exopto ſalutem æternam.

Noſſe

Noſſe te conſummata juſtitia eſt : & ſcire juſtitiam , & virtutem tuam radix eſt immortalitatis. *Sap.*15.3.

Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua , & non glorietur fortis in fortitudine ſua , & non glorietur dives in divitiis ſuis : ſed in hoc glorietur , qui gloriatur , ſcire , & noſſe me , quia ego ſum Dominus . *Jerem.*9. 23. 24.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

IN-

Digitized by Google

INDEX

C. SOLILOQUIORUM.

DE fine hominis. *Soliloquium* 1. 2.

De dignitate animæ hominis. *Soliloquium*. 3. 4. 5.

De eſſentia Dei. *Soliloquium*. 6. 7. 8.

De Unitate Dei. *Soliloquium*. 9. 10. 11.

De Sacro-Sancta & individua Trinitate. *Soliloquium*. 12. 13. 14. 15.

De Deo Patre. *Soliloquium*. 16. 17. 18. 19.

De filio Dei. *Soliloquium*. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

De Spiritu Sancto. *Soliloquium*. 26. 27. 28.

De divino Intellectu. *Soliloquium*. 29. 30. 31.

De

De voluntate Dei. *Soli loquium*. 32. 33. 34.
De Cognitione Dei. *Soliloquium*. 35. 36. 37.
De memoria Dei. *Soliloquium*. 38. 39. 40. 41.
De amore Dei. *Soliloquium*. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49.
De æternitate Dei. *Soliloquium*. 50. 51. 52. 53. 54.
De omnipotentia Dei. *Soliloquium*. 55. 56. 57 58.
De infinitate Dei. *Soliloquium*. 59. 60.
De pulchritudine Dei. *Soliloquium*. 61. 62. 63. 64.
De bonitate Dei. *Soliloquium*. 65. 66. 67. 68. 69.
De Sanctitate Dei. *Soliloquium*. 70. 71. 72.
De Scientia Dei. *Soliloquium*. 73. 74. 75.
De Sapientia Dei. *Soliloquium*. 76. 77. 78.

De Miſericordia Dei. *Soliloquium.* 79. 80. 81.
De Patientia Dei. *Soliloquium.* 82. 83. 84.
De Occultis Dei judiciis infinitaque ejus Juſtitia. *Soliloquium.* 85. 86. 87. 88.
De Immenſitate Dei. *Soliloquium.* 89. 90. 91.
De Dominio Dei. *Soliloquiam.* 92. 93. 94.
De Providentia Dei. *Soliloquium.* 95. 96. 97.
De Prædiſtinatione Dei. *Soliloqiium.* 98. 99. 100.

AVR

AVE MARIA

SOLILOQUIUM I.

De Fine hominis.

1. UNUM eſt neceſſarium; ut nempe ſciam cur ad imaginem tuam, Domine Deus, ſim creatus, & tam magno redemptus pretio: cur in mundo vivam, & quo tendam, dum hìc non compareo, niſi pro modico tempore, & revertar iterum, quò ierunt abſque numero homines. Tunc verò non remanebit, niſi inanis, & neque longa mei memoria. Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur: homo autem quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet: per paucos dies hanc lacrimarum vallem inhabitat, & ſive ſit rex, ſive pauper, ante ſuam per-

Digitized by Google

ſuaſionem evaneſcit, & abit in terram; de qua originem habuit.

2. Fundamentum Chriſtianæ vitæ eſt practica finis ultimi ſcientia: hanc ſi de die in diem, & in finem uſque exerceam, in æternum ero beatus; ſi recedam à cognitione finis ultimi, ero perditus, & miſer in æternum: & nihil mihi prodeſſet, ſi fuiſſem univerſi mundi Dominus; unum eſt neceſſarium, aut id ſinè fine te Deum meū cum omnibus Electis intuitivè videam, laudem, & glorificem, aut ut à facie tua repulſus ſim inter illos, qui præ doloribus ſuis te blaſphemare non ceſſant: unum eſt neceſſarium!

3. Aut in omnem æternitatem te Deum meum, & Dominum meum facie ad faciem intuens, replebor immenſis Cœli gaudiis, & tecum intimam fovebo amicitiam; aut à te rejectus, & à Cœlo excluſus in æternum habitabo in terra miſeriæ, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat: quidquid jam cogitem, quocunque me vertam, vel quidquid de mundo iſto poſſideam, unum eſt neceſſarium, aut ut in æternum vivam in Coelo, ubi nox

non

non erit ultra; aut ut in æternum ſim in tenebris, & in igne, quem furor tuus juſtiſſimus accendit, & conſervat, ut ſinè fine, & inexplicabiliter crucies me.

4. Aut corpus meum quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtella fulgebit in perpetuas æternitates, aut projectum in exteriores tenebras cruciatus ſuſtinebit interminabiliter, ità ut non ſit pars corporis abſque dolore intenſiſſimo; feciſti enim me inexterminabilem. Si corpus meum fulgebit in gloria, parum eſt, dum iſtud pro paucis vitæ mortalis diebus in ſervitutem redigo, non molliter tracto, non voluptuosè nutrio, non ſuperbè exorno: ſi corpus meum doleret extremè ex omni parte, & in æternum, quid ſuperba exornatio, & vita delicata prodeſſet? unum eſt neceſſarium, aut ut corpus meum æternaliter in gloria fulgeat, aut in tenebris, ſub ignominia, & inter dolores intenſiſſimos æternaliter vapulet.

5. Aut perfecta tranquillitas animi, & conſcientiæ me plurimùm, & in æternum lætificabit, aut vermis;

 qui

qui eſt ſuper omne martyrium, & non moritur ampliùs, me enormiter, & abſque intermiſſione torquebit. Alterutrum eſt neceſſarium; ſi lætificet me animi tranquillitas, gaudebo ineffabiliter, quia pro breviſſimo tempore, quo te Deum meum, te ſummum, & unicum bonum dilexi, & mandata tua non gravia cuſtodivi, regnum æternum ſum conſecutus; ſi vermis me torqueat, dolebo inceſſanter, & vehementiſſimè, quia à mente mea repellere non potero, quid perdiderim, & quò poſt momentum temporis devenerim, nimirum ad interminabile væ? væ? væ?

6. Aut cum apparuerit gloria tua, Altiſſime, & ego perfectè ſatiabor ſecundùm corpus, & animam, aut à te devians ex deſperatioue interminabili horrendè torquebor, ut nihil ſit reliquum, niſi ſub ſtridore dentium, & perpetuo. ſed inutili fletu clamare, ut mors veniat: & tamen iſta non veniet: ut cadant montes ſuper me, & me opprimant; non tamen cadent: deſiderare potero, ut revertar in nihilum, unde exivi; ſed fruſtra; poſtquam enim

tu Deus me eduxiſti de nihilo, in iſtud non redibo ampliùs: ſententia enim à te lata eſt irrevocabilis; *ibunt reprobi in ignem æternum, & juſti in vitam æternam. Unum eſt neceſſarium!*

AVE MARIA

SOLILOQUIUM II.

7. SI quis per ſæcula multa vixiſſet, & abundaſſet omnibus mundi gaudiis, deviaſſet autem à te Deo, ultimo fine, & nunc vitam ex tuo decreto concluderet, quid ſequeretur poſtea? heu infelix, & interminabilis æternitas, reſpectu cujus multa ſæcula ſunt velut nihilum: unum verò inſtans, ſi illa in inſtantia eſſet diviſibilis, eſt doloroſius quàm quæcunque paſſio hujus mundi per centum annos continuata. Quid nunc cogito? ego non vixi per ſæcula, ſed per paucos dmtaxat annos, & quidem inter tribulationes, ac miſerias: ſi tamen ab ultimo fine aberrem, *eſt neceſſarium*, ut interminabilem, & infauſtam æternitatem ingrediar.

8. Æterne Deus! breves ſunt dies hominis, & velut umbra prætereunt:

& tamen pauci hi dies parum ponderantur; vivimus, & non recogitamus corde, cur vivamus: de die in diem appropinquamus termino, & non recordamur, an iſte ſit beatus, aut infelix.

9. Quocumque converto oculos, video, plurimos homines ità vivere, quaſi neſcirent cur vivant: quæ ultimo loco deberent æſtimare, & quærere, primitus quærunt, nimirum temporalia: eorum autem, Cæleſtium nempe, & æternorum vivunt immemores.

10. Quanti labores, & ſudores, quanta pericula terra, marique ſubeuntur, & tolerantur? pro quo fine? pro lucro temporali, & momentaneo: & iſtud ſi eſſet univerſi mundi dominium, ſemel, velint, nolint, debent derelinquere. Domine Deus, quantùm in conſpectu tuo confundor? ſi ità induſtrioſus eſſem pro regno, quod paraſti te diligentibus, quot, & quantos paſſus in via Chriſtianæ perfectionis facerem?

11. Super faciem terræ circumſpiciens video, qualiter multi dominantes non pro acquirendis ſimul multis pro-

provinciis, aut regnis, & magis non pro poſſeſſione univerſi mundi (qui tamen cum omnibus ſuis bonis in comparatione unius immortalis animæ evaneſcit tamquam nihilum (video, inquam, qualiter illi gerant bella cruenta pro pugillo terræ, pro puncto honoris momentanei, & interea non vigilent, & laborent pro ſuamet immortali anima: quin & aliorum animas tam nobiles, tantoque redemptas pretio in æternæ ſalutis diſcrimen præcipitent: & hoc pro re modica, & momentanea? *Unum* enim *eſt neceſſarium*!

12. Nabuchedonoſer rex cogitabat, ut univerſam terram ſuo ſubjugaret imperio. Sit igitur, quod quis ex regnantibus non tantum *cogitaret* de multis provinciis, & regnis, ſed, & totum orbem terrarum in ſuam ditionem redigeret, quid ſibi prodeſſet illius poſſeſſio, quando finaliter pateretur detrimentum ſuæ immortalis animæ? hanc enim ut ſalvet *eſt neceſſarium*: reliqua ſunt tranſitoria, & momentanea.

13. Mundi hujus vanitas & irreparabilis jactura ſalutis eſt illa ponderoſa

cogitatio, quæ compulit reges, ac Cæſares, ut regna, & ſceptra dimitterent. Hæc cogitatio eſt aries illa fortiſſimus, qui potuit corda cæteroquin immobilia vincere, & emollire ad ſeriam pænitentiam. Hæc eſt illa cogitatio, quæ juvenes, & virgines, viros, & mulieres, ac inſuper ſenes animavit ad ſubeundum quæcunque martiria: Hæc eſt cogitatio, quæ Eremos, & clauſtra replevit tot ſanctiſſimis hominibus. Hæc eſt cogitatio, propter quam ad ſanctitatis apicem aſcenderunt, quicunque facti ſunt ſpecialiter ſancti: hanc igitur cogitationem, ò Altiſſime, alte imprime cordi meo, quod mundi vanitas, & certa conſecutio finis ultimi ſimul ſtare non poſſint.

14. *Unum eſt neceſſarium*, nempè immortalis animæ negotium: cætera omnia, quocunque veniant nomine, ſunt tantùm negotia temporis, at verò negotium animæ eſt negotium æternitatis. Si omnia pereant, quæ ſunt hujus mundi, non pereunt, niſi ea, quæ ſemel perire neceſſum eſt: ſi autem pereat anima, jactura eſt irreparabilis, & in-

& interminabilis dolor, quem explicare poſſunt: qui hunc actu ſuſtinent.

15. *Unum* igitur, Domine Deus, *eſt neceſſarium*, nempe negotium meæ immortalis animæ; illud verò ſecurè nunquam operabor, niſi seriò recogitem, *qualiter*, & *ad quid* à te ſim conditus. Sum autem creatus ad imaginem tuam, ut agnoſcam, & diligam te ex toto corde, ex tota anima, & in omni fortitudine: non ergo eſt neceſſarium, ut diu in mundo vivam, divitiis abuudem, gradum honoris poſſideam; eſt autem neceſſarium, ut noverim te; ex quo diligam te, *noſſe enim te, conſummata juſtitia eſt: & ſcire juſtitiam, & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis.*

AVE MARIA

SOLILOQUIUM III.

De dignitate animæ immortalis.

1. MAgnus es Domine, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non eſt finis: & tamen tibi fuit placitum, ut in anima velut imagine temetipſum effigiares; ſub tanta igitur di-

gnitate creaſti me. Spiritus es tu: ſpiritualem & animæ meæ contuliſti prærogativam, quamvis latenti incorpore de limo terræ formato: & quia anima mea ſpiritus eſt, hinc non ſatiabitur ex iis, quæ extra te ſunt, & aliquando deſinunt, ac ſi nunquam fuiſſent.

2. Tu Deus habes intellectum, quo tuam infinitam eſſentiam, & quidquid in hac eſt, ab eterno cognoſcis: habes, & voluntatem, qua æternaliter amas tuam infinitam bonitatem, & pulchritudinem; & animæ meæ virtutem intellectus dediſti, ut poſſit te, tuoſque infinitas perfectiones cognoſcere; dediſti & voluntatem, ut poſſit te, tuamque infinitam bonitatem, ac pulchritudinem diligere: Si igitur te cognoſcit, & amat, beata eſt: ſi te neſcit, infelix eſt; quamvis noſſet omnia, quæ ſunt extra te: Si te non amat, miſera eſt, quia extra ſuum centrum verſatur.

3. Tu Altiſſimus ab æterno es; & ità, ut, ſi ante creationem hujus univerſi inſtantia in infinitum multiplicata per imaginationem concipiam, ad initium

tium tuæ exiſtentiæ devenire non poſſim: ſi ſimiliter cogitem de tua exiſtentia poſt conſummationem ſæculi, finem non video: anima mea ab æterno non eſt, nunc autem, quia ſpiritualem, ac immortalem feciſti, & diligis in charitate perpetua, qua tenet ipſum diligis, tecum erit in æternum, & quidem tuæmet ipſius infinitæ beatitudinis particeps, ſi te modò cognoſcit, & amat: ſecùs enim erit tamen abſque fine, ſed in æternum miſera.

4. Tu Domine ex nullo objecto, niſi à te ſolo, & unico potes eſſe perfectè beatus; tu es quidem omnia, ſed nihil es eorum, quæ feciſti: limitata enim & finita ſunt: anima mea limitatur, ſecundum eſſentiam, & operationem, imò quoad omnia; habet autem appetitum interiorem, ut bonum infinitum, & interminabile poſſideat, & ideo ex nullo objecto creato eſt perfectè ſatiabilis; quæcunque enim extra te, ſunt limitata, & interno appetitui in ſufficientia; tu autem es bonum infinitum, & interminabile.

5. Theſaurum inæſtimabilem, magne Deus, poſuiſti in corpore meo, dum

dediſti animam tam nobilem, tam ſublimibus proditam potentiis, quibus in operationibus, cognitionis nempe, & amoris, temetipſum imitari poſſem; ego autem animam meam pro merito non æſtimavi, neque ſecundum ejus inclinationem vivere ſtudui, quia quoad internas operationes cito deficio, et ad exteriora, apparentia, tranſitoria & momentanea diffundor: nihil jam eſt reliquum, niſi ut doleam, & defleam, quod te Deum, verum, & unicum bonum, tam parum noverim, et ſerò dilexerim.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM IV.

6. FEciſti me, conditor omnium; ad tuam imaginem, & propterea deſideras, ut in meis operationibus ſim perfectus, ſicut tu perfectus es; tu autem perfectus es, dum in tua aſſentia ab æterno vides infinitarum perfectionum plenitudinem, & per intellectum de tua ſubſtantia tuum unigenitum generas filium, qui verus eſt Deus de Deo vero, & unus tecum Deus: & dum

dum in ipſo infinitam vides bonitatem, ex hoc eum infinito, & æternali amore diligis: & quia unigenitus tuus filius, & unus tecum Deus, eandem in te Deo Patre videt bonitatem, ex hoc te eodem infinito, ac æternali amore redamat: & iſte infinitus, & æternalis amor eſt ſpiritus, ab utroque procedens: hæ ſunt tuæ operationes internæ, quas non capio, ſed credo, & adoro ſub humilitate profundiſſima.

7. Unam operationem intellectus te Deus Pater habes, & eſt æterna, dum tuam divinam eſſentiam cognoſcis, & loqueris Verbum: unam ſimiliter, & æternam operationem voluntatis habes, dum infinitè amas ab æterno genitum, & tibi conſubſtantialem filium, qui pariter infinitè, & æternaliter te redamat: & perinde ab utroque procedit Spiritus Sanctus. Cùm igitur anima mea ſit condita ad tuam imaginem, hinc & ipſa unicam, ideſt per dies ſingulos ſæpius ſaltèm repetitam, & ſic pro tota mortalis vitæ tempore continuatam intellectus, & voluntatis operationem habere deberet, nempe cognitionem tuæ divinæ Majeſtatis cum in-

increatis, infinitiſque perfectionibus, & amorem tuæ immenſæ bonitatis, ac pulchritudinis.

8. Tu factor omnium habes etiam operationes ad extrà, quando creas Cœlum, & terram, & omnia, quæ in iis ſunt; hæ autem operationes externæ, quamvis excellentiſſimæ ſint, nihil conferunt ad tuam eſſentialem gloriam, quam ab æterno poſſides, quia abſque operationibus ad extrà jam es infinitè beatus. Anima mea, cum ſit creata ad tuam imaginem, poteſt præſtare operationes externas pro majori tua gloria, & ſalute proximi; ſicut autem tua eſſentialis beatitudo conſiſtit in actibus internis, ſic & anima mea operationibus intrinſecis potiſſimum deberet incumbere, te nempe per intellectum cognoſcendo. & per voluntatem amando: atque hic pro conditione ſui ſtatus erit perfecta ſicut tu Pater Cœleſtis perfectus es.

9. Sed quantùm confundor in conſpectu tuo, o Altiſſime! Tu pro actibus internis totam impendis æternitatem: operationibus autem ad extrà non das, niſi momentum temporis; dixi-

xiſti enim, & facta ſunt, mandaſti, & creata ſunt, quæ exiſtunt in Cœlo, & in Terra: & ſi velles novum, imò mille mundos condere, pro his omnibus non adhiberes, niſi momentum temporis: ego autem, dum agnoſco dignitatem animæ, quam ad imaginem tuam feciſti, ſum heu multùm nimis ab hac perfectione remotus: internis intellectus, & voluntatis operationibus ad te cognoſcendum, & amandum, deberem plurimum temporis tribuere, & hoc ne quidem facio pro illis circumſtantiis, in quibus ad te laudandum, & adorandum occupor; at verò externis operationibus, quarum frequentiſſimè nulla eſt neceſſitas, vel utilitas, horas, & horas attribuo, & non ſentio tædium, bene autem reporto detrimentum animæ.

10. Deus meus, & Dominus meus! Credo firmiter, & ſpero inceſſanter, fore, ut tuam divinam Majeſtatem pro tota æternitate facie ad faciem intuear, & te glorificem in tuis infinitis perfectionibus; ſed quomodo iſta cohærent, *velle te æternaliter videre, ac inceſſanter amare*; & *in tempore tui rarò, vel quaſi nunquam meminiſſe*? Quid de-

deberet eſſe totum & breve tempus, quo vivo ſuper terram, niſi ſchola æternitatis? Illud proinde, quod in iſte eſt maximum, & perpetuum, te nempe facie ad faciem intueri, & diligere, jam nunc per fidem ambulans, continuò exercere deberem.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM V.

11. DIxi Domine, exercitium potiſſimum, & unicum deberet jam nunc eſſe in tempore, quod in æternitate eſt maximum, & perpetuum. Si hìc in via ambulans cor meum ad bona hujus mundi dilatare cupio, anima mea illis non ſatiabitur, quia ſpiritualis eſt; bona mundi autem ſunt materialia, quia de terra habent originem, & in eam denuo revertuntur. Si mundanos honores affecto, anima mea iſtos tanquam vanitates requit. Si ſenſuales quæro delicias, anima me has deſpicit, & damnat tanquam proprias ratione deſtitutis animantibus.

12. Quidquid cogitem de iis, quæ mundus habet anima mea non ſatiabitur:

tur : & , ſi totum mundum cum omnibus theſauris ſub meo tenerem imperio, anima mea objectum ſuo interno appetitui proportionatum non inveniet ; quidquid enim ſub ſole exiſtit , vanitati , & corruptioni manet obnoxium , tu autem Domine , quia animam meam feciſti ad tuam imaginem indidiſti appetitum ad bonum non deſinens , ſed ſemper permanens : & hoc extra te non invenio; ſi autem adhuc in via ambulans, cognoſco , & diligo te per fidem , & charitatem , jam poſſideo bonum , quod initium , & finem non habet .

13. Sed fortè ſub alio decretorum ordine anima mea ex poſſeſſione hujus mundi conſolationem acciperet ? Nunc enim pro diebus vitæ hominis conſtituiſti terminos , qui , & quidem breves , præteriri non poſſunt; tibi autem Deo omnipotenti eſſet poſſibile , ut vitam meam ad mille , & plures annos prolongares : & tunc utique , ſi pro tanto temporis ſpatio haberem univerſi mundi dominium , & inter omnes , quæ deſiderari poſſent , delicias , ſatiaretur anima mea ? Nullo modo ; ſcit enim per fidei lumen , mundi poſſeſſionem ,

non

non tantùm per mille, ſed per centies mille annos continuatam, debere finiri: ſcit etiam, ſe eſſe ſpiritualem, & immortalem, atque ideo non ſatiabitur, niſi te Deum, utpote verum, ſummum, & unicum bonum, hìc per fidem, & ibi per lumen gloriæ, cognoſcendo, & amando poſſideat.

14. Pater, Domine Cœli, & Terræ, tam nobilem, & tam pretioſum theſaurum concluſiſti in mortali meo corpore, animam nempe creatam ad tuam ſimilitudinem: & propterea, quidquid feciſti, nihil eſt, quod animæ meæ appetitum perfectè ſatiare poſſet: tu autem ſolus es, ex quoplenè ſatiabitur: & quia inæſtimabilem mihi dediſti theſaurum, quantùm doleo, quia hunc in pretio non habui, & tibi debitas grates non reddidi? Quantùm me pœnitet, quia pro omni tempore non fui ſolicitus, nè hunc theſaurum defædarem peccatorum maculis? Quanta fuit mea cæcitas, dum ſecundùm animæ meæ appetitum, & inclinationem vivere non ſtudui? Ipſa enim tam nobiliter creata nullibi, niſi in te ſolo, qui es verum, unicum, & interminabile bonum,

num, poteſt quieſcere ; ego autem creaturas, & vanitates reſpexi. Erravi igitur ovis, quæ periit : ſed nunc dolens, & pænitens revertor ad te, ut te cognoſcam, & amem.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM VI.

De eſſentia Dei.

1. ÆTerne Deus, dum cogito, quid non ſis, verba mihi non deficiunt : poſſum enim dicere, non eſſe temporaneum, finitum, vel ex ulla parte imperfectum, dum autem cogito. quis ſis, verba oris, & mentis mihi deficiunt ; hoc novi, te nihil eſſe de iis, quæ facta ſunt. Tu es omnia, quia es, Ens infinitum, & immenſum, ex quo, & in quo ſunt omnia : & ſi omnia non eſſes, manerent omnia in abyſſo nihili. Tu tamen non es quidquam de iis, quæ extra te ſunt, quia extra te omnia ſunt limitata, & temporanea : tu autem Deus non es in tempore, & in te non ſunt limites.

2. Si dico, quòd ſis bonus, juſtus, ſanctus ; & amabilis, veritatem quidem

dem loquor, perinde tamen nondum tuam cognovi eſſentiam; quia etiam extra te, ſeu in operibus manuum tuarum pulchritudinem conſpicio: ſanctitatem verò, & juſtitiam invenio in Angelis, & hominibus. Si dico, quòd tu ſis ipſamet ſanctitas, bonitas, & juſtitia, adhuc parum loquor, quia loquor duntaxat de tuis perfectionibus, & propterea nondum expono tuam eſſentiam; hæc enim tranſcendit omnia, quæ de te particulariter dici, vel cogitari poſſunt. Tuæ igitur eſſentiæ infinitatem contemplari valent, & adorare debent Angeli, & homines, nemo autem eſt, qui eam capiat: &, ſi ſingulis tribueres intellectum perfectiſſimum, iſte adhuc in omnibus ſimul tuam eſſentiam cognoſcere volentibus, foret inſufficiens, Hoc itaque eſt reliquum, ut dicam de tua eſſentia, quòd *es, qui es.*

3. Et quia *es*, *qui es*, agnoſco quidem, quòd Deus ſis. non tamen invenio nomen, quo poſſem dicere, quis ſis. Hoc verum eſt, quòd ſis immenſus, infinitarum perfectionum abyſſus: hoc autem nondum eſt nomen tibi proprium. Tu es ſupremus Cœli, & Ter-

ræ

ræ Monarcha; ſed tamen te talem agnoſcens nondum intelligo tuam eſſentiam, & nomen, quod ſolus poſſides: ſi dico, te eſſe centrum æternitatis, ſolem juſtitiæ, inexauribilem bonitatis fontem, invictam omnipotentiæ virtutem, denuo veritatem pronuntio. quia hæc omnia in te contines: ſed tamen nondum cognoſco tuam divinam eſſentiam, & nomen tibi ſoli proprium.

4. Tu es, qui es: & quanquam ſis infinitarum perfectionum abyſſus, æternitatis centrum, ſol juſtitiæ, & inexhauribilis bonitatis fons, nihil tamen es de his omnibus, dum hæc ſecundùm verba conſidero, quia non es *abyſſus*, non es *ſol*, non es *fons*. Æterne Deus! Quomodo igitur loquor ad te, aut quo te compellabo, & invocabo nomine? Verba enim, & cogitationes mihi deficiunt: ſed tamen deſideria in me reperio, ut ex corde noſſem te, quis ſis: & quia hoc non eſt poſſibile pro vita mortali, diſſolvi cupio, ut ad te tranſlatus videam, & diligam te, qualiter es.

AVE

Ave Maria

SOLILOQUIUM VII.

5. MAgne Deus, quàm admirabilis, quam incomprenſibilis eſt tua eſſentia? Tu reples Cœlum, & Terram, non tamen circumſcriberis: tu es continuo in motu, imo es actus actualiſſimus, fueris tamen quiete perpetua. Te pænitet, & non ſentis in corde dolorem: tu iraſceris, immobilis, tamen permanes. Tu diligis abſque menſura, & abſque modo, in tua tamen dilectione nulla inordinatio intervenit: tu es immenſus, es tamen totus, & indiviſibilis in operibus tuarum manuum.

6. Tu in omnibus locis, & finibus præſens es, quin & intimè præſens es in creaturis ſingulis, longè autem abes a peccatorum cogitationibus: quin & in abſentia præſens es; quia ades per vindictam, & furorem, ubi præſens non es per gratiam. Et cum ſis ubique, non tamen videris, aut tangeris. Tu reddis mercedem, & non habes ſolvendi debitum; tu dimittis peccata, tibi tamen

men

men nihil decedit: tu omnia conſerves, ſuſtines, & complecteris, omnia tamen es in omnibus: o quam admirabilis, quam incomprehenſibilis eſt tua eſſentia!

7. Ah quid deberet eſſe mihi dulcius, quid acceptius, quam inceſſanter cogitare, pro data occaſione loqui, aut etiam ſcribere de tua eſſentia? hanc ut cordi meo altè imprimas, te ex omnibus viribus rogo: & rectè, dum invoco te, in medio cordis mei habitare dignaris; non enim eſſem, ſi tu in me non eſſes: & ſi ego pariter in te non eſſem, tu non eſſes in me: mane igitur in me, ut ego maneam in te, ex quo in quo, & per quem ſunt omnia.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM VIII.

8. TU mi Deus, es ſummum bonum, non bonum ab alio bono, ſed bonum omnis boni; ſi enim ab alio bono bonum eſſes, quæſtio fieri poſſet, & deberet, unde alterum bonum eſſet bonum? & ſic proceſſus in infinitum daretur. Tu igitur primum,

&

& ſummum bonum ſolus permanes, & es tale bonum ex tua met eſſentia, quæ initium, aut finem non habet; ego autem hoc bonum ſerò cognovi, ſerò amavi, ſed dilexi bonum apparens: & propterea nihil ſupereſt, niſi ut corde contrito doleam.

9. Video bonitatem in manuum tuarum operibus; bonus enim eſt ſol, qui ſplendore ſuo orbem terrarum illuminet, & calefacit: bona eſt luna, quæ per ſuos influxus plurima cunctis viventibus confert: bonus eſt homo juſtus, qui per rectè vivendi, & ambulandi formam tuum honorem promovet, & lucratur ſuam, pluriumque animas: atque ſic loqui poſſem de pluribus, quæ bona ſunt. Sed tamen de his omnibus non poſſum dicere, quod ſint bona ex ſemetipſis; tantam quippe creaturæ continent bonitatem, quantam tu communicas: tu autem Deus es bonitas per eſſentiam, quæ ipſa eſt bonitas.

10. Quid jam cogito, ſeria mente perpendens, quod tu, eſſentialis bonitas, digneris eſſe merces mea, & quidem magna nimis? quid faceret hujus

ſæcu-

ſæculi filius, honores nempe, divitias, & voluptates affectans, cui promitteretur, quod poſſit conſequi omnia, quæ oculi ſui, aures ſuæ, & cor ſuum poſſunt concupiſcere, dummodo ſe ad laborem pro paucis diebus ſubeundum ſeriò determinaret, quid, inquam, ſtante hac promiſſione faceret filius hujus ſæculi? jam mihi promittitur bonum, non apparens, & ſenſus duntaxat modicè recreans, ſed lætificans animam, & glorificans corpus, idque in omnem æternitatem, dummodo abſtineam ab omni peccato, in timore tuo ambulem, & te Deum bonum ſuper omne bonum ex toto corde diligam.

11. Domine Deus, an ergo tu poſſeſſionem boni immenſi, & æterni das pro tam vili pretio, ſi nempe ſervem mandata tua non gravia, & te diligam ex toto corde, ex tota anima, & in omni fortitudine? aliter mundus agit quoad ſuos filios; quantùm enim laborare, & ſudare debent, ut ejus vanitatum, ſint divitiæ, ſint honorum gradus, ſint voluptates, participes fiant? & dum iis hoc, aut illo modo fruuntur, quantas curas, & quantas com-

muniter contrarietates compelluntur ſubire? &, quamdiu gaudent præmio, quod mundus dat pro laboribus, ſudoribus, & vigiliis? ad dies pauciſſimos, qui velut umbra prætereunt: mundo autem ſervitur, & non cogitatur quid poſtea?

12. O Altiſſime! ſiccine poſſeſſionem boni immenſi, & æterni communicas pro tam facili, quin & ſuaviſſimo pretio? quanta igitur eſt mea cæcitas, ſi pro tali bono omnem mihi poſſibilem non impendo induſtriam? tu enim non deſideras tanta, & talia, quæ mundus a ſuis filiis poſtulat, & quidem pro bonis apparentibus, tranſitoriis, ac momentaneis; tu mihi non impoſuiſti mandatum, ut vitam aſperrimam ducam in ſolitudine: vel ut inter longas vigilias, arduaque jejunia continuò orationi ſim deditus; Vis autem, ut te non offendam, ſed filialiter timeam, ex toto corde diligam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM IX.

De unitate Dei.

1. DUM Cœlum, & terram intueor, hęc, & illud mihi demonſtrant, te Deum meum, & Dominum meum exiſtere; forem enim inexcuſabilis, ſi ex viſibilibus creaturis, & quidem talibus, omnipotentem, ſempiternamque virtutem non cognoſcerem: & quia ſol eſt vas admirabile, opus excelſi, eum intuens, tantò amplius convincor, de Factoris exiſtentia, cùm ille tam velocem, & per tot ſecula uniformiter continuatum curſum teneat, abſque eo, quod vel ſemel à via ſibi præfixa deflecteret.

2. Firmamentum aſpicio, & hìc cuncta ſplendentia tuam, o Deus! annuntiant gloriam, quod nempe ſis Factor horum omnium; unde enim poſſent exiſtere, & quidem ſecundum tam pulchrum ordinem, niſi daretur manus omnipotens, infinitaque ſapientia? evidens enim eſt, quod quæcunque firmamentum clarificant, olim fuerint inane nihilum: ex nihilo autem nihil fit; ut

proinde quidpiam extrahatur de nihilo, omnipotentia eſſentialiter requiritur. Deinde poſſibile eſt, ut creaturæ ad imaginem tuam factę, & ideo intellectu præditæ, mutuum ſervent ordinem, non autem eſt poſſibile, ut creaturę inanimate ordinem ad invicem, & ex ſemetipſis habeant; illum tamen in ſtellis, & ſingulariter planetis obſervo; debet igitur talis ordo in iſtis creaturis originem habere ab infinita ſapientia: hæc verò, & omnipotentia te Deum unum, & Factorem omnium annuntiant.

3. Oculos meos ſuper faciem terræ convertens, video elementa, aliaque inanimata opera: video & ratione præditos homines: & ex his omnibus tuam, o Deus, exiſtentiam intelligo, quia novi, quod nullum horum ſibimetipſi eſſe dederit: & quamquam inter homines fiat continuata ſuccesſio, per intellectum tamen devenio ad illum, qui non deſcendit ab altero homine: & dum iſte ab alio non deſcendens homo ſuum eſſe à ſemetipſo non habet, & neque ab æterno fuit, aliàs jam eſſet Deus: & ſic non eſſet homo, ex hoc rurſus manifeſtè convincor, ut noverim,

rim, unum eſſe ab æterno Deum, qui fecit primum hominem, & omnia. Quid multis? non haberem intellectum, rationem, & oculos, niſi ex actu factis te Deum agnoſcerem.

4. Sed te nondum in claritate intueor? & hoc eſt veriſſimum: ſi enim jam actu te intuitivè viderem, non eſſem in via, & per fidem ambulans: omnem autem ad te accedentem oportet credere, ſicut & in Angelis, adhuc conſtitutis in via, fuit neceſſum, ut crederent, antequam te Deum Altiſſimum facie ad faciem intuerentur. Ipſi proinde, te modò in claritate vident, & ego ex iis, quæ feciſti, te evidenter agnoſco; de objecto autem credito tantam, & ego habeo certitudinem, ut ampliùs per intuitivam viſionem non certificarer: & ideo inter clarè videntem, & ſub obſcuro fidei lumine ambulantem, quoad certitudinem objecti, nulla eſt differentia.

5. Conditor omnium Deus, ſi jam nunc in terra, & lacrymarum valle commorans tibi ità per fidem eſſem conjunctus, qualiter Angelici Spiritus, & Electi in Cœlis per intuitivam viſio-

nem ſub poſſeſſione, & fruitione omnis boni tibi adhærent, hic ipſe incolatus meus verteretur in Cœlum; quid enim illos beatificat, & taliter, ut non ſit inſtans, quo non perciperent ſummam ex parte intellectus, & voluntatis dulcedinem, niſi quia te Deum, æternam veritatem, infinitam bonitatem, & abyſſum omnis felicitatis, facie ad faciem intuentur, & poſſident? dixi igitur, ſi tibi per vivam fidem, quæ quoad objecti certitudinem non eſt minor ipſamet viſione beatifica, ità eſſem conjunctus, jam nunc prægustarem ſupernas dulcedines, & terra mihi verteretur in Cœlum.

6. Confiteor quidem, & *Credo in unum Deum*: & ſi ſuper hac veritate interrogarer, dicerem, me eſſe paratiſſimum ad fundendum ſanguinem, ponendamque animam: & hoc utroque facto nullus non ſentiret, quod in te Deum, & Dominum meum vivaciter crediderim: jam autem non ſum in talibus circumſtantiis, in quibus fieret talis quæſtio, & quàm longe opera mea à viva fide diſtant? agnoſco enim te Deum, ſed non, ſicut poſſem, & debe-

be-

berem, te laudo, & honorifico. O quàm longè aliud eſt dicere, *Credo in unum Deum*, & : *glorificare te, ſicut oportet*.

7. Dico, pro veritate hac, *Credo in unum Deum*, ſum paratiſſimus ad fundendum ſanguinum, vitamque ſub quibuſcunque tormentis ponendam: & interea frequenter nimis arduum mihi eſt, ut ex amore tui in modico me vincerem: *Credo in unum Deum*, & interea quàm tepide, quàm negligenter præſto obſequio, quibus tuam divinam Majeſtatem laudare intendo?

8. *Credo in unum Deum*: & hoc eſt æterna veritas; ſed & verba tua, quæ loqueris: mandata tua, ad quæ me obligas: promiſſiones, quas dignaris mihi facere, in æternum permanent; quomodo autem verba tua audio, quomodo mandata tua cuſtodio, quomodo ad promiſſiones attendo? aut igitur non debeo dicere, *Credo in unum Deum*, aut me ità eredentem oportet jugiter habere ante oculos mentis ea, quæ ſimiliter ſunt æterna veritas: & tunc erit facile, imò dulce, ut voluntatem tuam in omnibus faciam, & for-

titer ſubſiſtam in vitæ hujus mortalis tribulationibus, & miſeriis, nempe propter retributionem.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM X.

9. ITA eſt, *Credo in unum Deum*; ſi enim *unus* non eſſes, omnino non eſſes Deus; maximè neceſſaria conditio, ut ſis Deus, eſt, te eſſe ens Altiſſimum, vel ſupremam eſſentiam; nam (ut loquar per impoſſibile) ſi præter te adhuc eſſet Deus, vel deberet eſſe te ſuperior, aut ſaltem tibi ſimilis: ſi ſuperior eſſet, jam tu non eſſes Altiſſimus: ſi tibi ſimilis, jam tu non eſſes ſuper omnem eſſentiam: inter nos quippe mortales non poſſum dicere, quod ille rex ſit ſupremus regni ſui dominus, qui in eodem regno debet videre ſibi ſimilem, aut omninò ſe ſuperiorem.

10. Quamquam ſuper veritate *de unitate* tua, o Altiſſime! neque mihi, neque ulli de tuis fidelibus dubium, vel in minimo remaneat, videtur tamen mihi, tibi non fore ad diſplicentiam, ſi ſuper hac ipſa veritate adhuc verbum

bum loquor: Si (per impoſſibile) duo forent dii, oriretur quæſtio, an unus haberet omnes, & pro divinitate eſſentialiter requiſitas perfectiones, quas haberet alter: Si ità? jam eſſet unus Deus, plures autem forent perſonæ; ſi autem unus in hac, vel illa perfectione deficeret, eo ipſo nullus eſſet Deus; quia unus non haberet perfectionem pro divinitate neceſſariam, unde, dum alter foret huic ſimilis, & ipſe Deus non eſſet, utpote æqualis Deo imperfecto. An plura ſuper hac veritate cogitem? corde, & ore confiteor, te *unum* eſſe Deum, quia ſecùs omnino Deus non eſſes.

11. Te igitur ſub viva fide adoro; & diligo, utpote unum Deum & bonum ſummum, ac unicum: tu totam eſſentiam habes ex te, à te, & in te, & non potes quidquam de hac tribuere alteri: tu illam poſſides uniformiter, cùm non ſit in partes diviſibilis; infinitas ea perfectiones continet, & ità ut una non ſit inæqualis alteri: una enim eſt infinita, & ſimiliter infinitæ ſunt ſingulæ: & hæ omnes ſunt una, eademque eſſentia: & hæc ſub incomprehenſibi-

 li

li modo eſt unum idemque cum perfe-ctionibus ſingulis: ſic nempe omnia ab æterno ſunt unum in te, quem non capio, in quem tamen ſub viva fide credo, quem adoro ſub humilitate profundiſſima.

12. Domine Deus, quàm magna, quàm incomprehenſibilis eſt tua eſſentia, quæ plenitudinem perfectionum infinitarum complectitur, quin imò quæ tum iſtis eſt unum, & idem, ità ut nec per ſemetipſos, nec per operationem intellectus ab invicem diſtingui valeant? quod enim in te eſt æternitas, hoc eſt omnipotentia: quod eſt juſtitia, hoc eſt miſericordia: quod eſt bonitas, hoc eſt pulchritudo; & ſic dico de ſingulis perfectionibus, quia ſingulæ in ſua linea habet infinitudinem, & omnes ſunt unum ac idem cum eſſentia; & hæc unum eſt tecum ipſo, quia tu es, qui es; ex quo es omnia.

13. Diem inter, & noctem, lucem inter, & tenebras, magna eſt differentia: inter tuam autem divinam eſſentiam, & noſtrum eſſe, infinita eſt elongatio; tu nobis eſſe dediſti, ut eſſemus quid amplius, quam nihilum; interea no-

noſtrum eſſe per comparationem ad tuam eſſentiam ſe habet velut ſcintilla reſpectu ſolis: non poteſt dici tale quid, quod eſt gutta aquæ reſpectu oceani; apud nos enim non verificatur, unam perfectionem, v. g. juſtitiam, eſſe alteram, nempe miſericordiam: & magis non licet dicere, perfectiones quaſcunque excogitabiles eſſe unum, & idem cum eſſentia hominis; iſte enim poteſt eſſe cum, vel abſque perfectionibus: præterquam quòd ſit compoſitum ex anima rationali, ac corpore. Et tamen nos pulvis, & cinis, nos nihilum in conſpectu tuo ſuperbire præſumimus: da igitur Domine, ut ſæpius, & seriò ſim memor, quis tu ſis, & quis ego; atque ſic longè à me recedet pes ſuperbiæ.

Ave Maria

SOLILOQUIUM XI.

14. Agnoſco, & confiteor, & quod tu ſis ſolus Deus, ſolus Dominus, ſolus Altiſſimus. Agnoſco, infinitam in te eſſe eſſentiam, in qua es ab æterno infinite beatus, abſque eo

nempe, ut aliquid ad extrà condéres. Agnoſco, quod tua eſſentia, quemadmodum eſt infinitarum perfectionum origo, ità ſit cœleſtium, æternorumque bonorum, gaudiorumque abyſſus. Agnoſco, te, dum infinitam beatitudinem ab intrà, & æternaliter poſſides, habere in deliciis, ut in tempore te communices ad extrà, quaſi volens gaudium alibi quærere, in creaturis ſcilicet, quas feciſti ad tuam imaginem.

15. Tu per eſſentiam es unus Deus, unus Dominus; in temetipſo ab æterno infinitam habens beatitudinem; quemadmodum autem rationalis anima, ſpiritûalis nempe, & immortalis, de tua eſſentia participat, ità tibi complaces, ut & in iſta quæras aliquod ad extrà gaudium, quin & vis eam tuęmet ipſius infinitæ beatitudinis, immenſorumque gaudiorum participem facere. At quid jam cogito? *unus Deus*: *una anima*? hanc mihi dediſti: in hac dignaris quærere gaudium, imò vis, ut, ea in tuamet infinita gaudia introeat; an igitur fieri poſſit, ut ego cor meum apponam creaturæ, ac perinde

rinde perdam, & animam? abſit Domine; tu es unus, & meus Deus, & tua eſt anima mea, ſimiliter una.

16. O quam cæcè nos mortales agimus, qui credimus in te Deum unum, reipſa autem ad idola convertimur, & hæc adoramus! quo enim cor inclinatur, & trahitur, ibi theſaurum eſſe oportet: & ubi eſt iſte, ibi Deus, nempe idolum eſt. jam autem quot de nobis, cæteroquin rectè credentibus, ſunt, quorum corda eò trahuntur, ut coram mundi facie ſplendorem faciant, ſeu emineant tanquam conſtituti in altis honorum gradibus? unde pro his obtinendis omnem impendunt induſtriam, & ſi pro tali fine de multis, magniſque expenſis agatur, has non curant, quia coram mundo magnificari, & honorari cupiunt: hoc igitur eſt te Deum unum credere labiis, corde autem adorare idola.

17. Quot de nobis ſunt, quorum cogitationes, & deſideria unicè eò collimant, imò trahuntur, qualiter congregent, & augeant bona temporalia, ſive id fiat, aut non fiat per viam juſtitiæ? in temporalibus igitur corda ſepe-

ſepeliunt: & dum patiuntur in iis detrimentum, lamentantur, & ſunt inconſolabiles; an perdiderint, gratiam tuam, regnum tuum, te Deum ipſum, de his non cogitant, non fundunt lacrymam; & hoc iterum eſt te Deum unum confiteri labiis, corde autem ad idola converti.

18. Heu quo ſunt, cæteroquin credentes, quorum Deus venter eſt, dum nempe corda ſua unicè dilatant ad ſenſuales, turpeſque voluptates, & perinde ſe faciunt ſimiles aut omnino deteriores ratione deſtitutis animantibus? hæc enim impulſum naturæ ſequuntur; homines autem ſenſualitatibus dediti, tranſgrediuntur naturæ limites: conſumunt, imò veritatem dicendo, abbreviant vitæ ſuæ dies, quaſi fuiſſent conditi ad ventri, non autem tibi uni Deo vivo, & vero ſerviendum, & tandem evaneſcunt in ſuis vanitatibus.

19. O quam amarum his omnibus erit in noviſſimis, quando nempe videbunt appropinquere mortis diem, & ſenſualis vitæ terminum; quò tunc ſe vertent, aut quem in adjutorium invocabunt? an a ſuis idolis expectabunt levamen? fruſtra eſt, quia gradus hono-

norum, divitiæ, vel damnabiles corporis voluptates in mortis articulo auxilium ferre non poſſunt, cùm nunquam in vita profuerint, multò magis autem fuerint in multiplicem ruinam immortalis animæ. An tunc ſeriò ſua damnabunt idola, & ſe ad te Deum pleno corde convertent? hęc converſio eſt poſſibilis: ſed quid ſi tu reſpondeas, *non novi vos, quia vos me tantùm de ore cognoviſtis, corde autem ad idola fuiſtis converſi: his dicite, ut ſurgant, & opitulentur vobis*: aſt hæc non ſurgent.

20. Sic eſt, & ſic continget omnibus, qui te Deum unum, & verum de ore tantùm confitentur, de corde autem idolis ſerviunt. Ah igitur tolle de corde meo omnem malam inclinationem ad mundi honores, voluptates, & divitias; ſatis ero in honoribus, ſi in Jeſu Crucifixo meo gloriari valeam: ſatis dives ero, ſi poſſideam theſaurum ſuper univerſi mundi pretio æſtimabilem; te nempe Deum meum, & Dominum meum: ſatis ero in deliciis, etiam in hac lacrymarum valle converſans, ſi gaudere poſſims de bonæ conſcientiæ teſtimonio, *quia ſecura mens quaſi juge*

ge convivium, pro his igitur tribus punctis te ò Deus, exoro: honores, divitias, & voluptates mundus ſibi habeat.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XII.

De ſacroſancta, & individua Trinitate.

1. NUper ſedebat quiſpiam ad littus maris adriatici: & cum aliquandiu contemplatus fuiſſet tuam, ò Altiſſime! omnipotentiam, dicebat in corde ſuo: *ingens foret inſipientia, ſi quis mortalium pro paucis vitæ ſuæ diebus vellet hanc tantam aquarum molem aliò tranſponere: inſipientia autem foret tantò major, ſi vellet totum hoc mare concludere in ſcrobe parvula*: & tamen utrumque priùs fieri poſſet; quàm ut homo viator comprehenderet ineffabile ſacroſanctæ, & individuæ Trinitatis myſterium: quamquam autem res ita ſe habeat, loquar tamen, ut illud, cùm ſit abyſſus incomprehenſibilis, tantò humiliùs, devotiùs, & ardentiùs adorare ſtudeam.

2. Tu

2. Tu Altiſſimus es ab æterno, & unus tantum Deus infinitè perfectus in omni perfectionum genere; ſicut autem es, qui es, ſic tuam eſſentiam habes à temetipſo. Tu in eſſentia tua quieſcis, exerces autem actum continuum, perfectiſſimum, & neceſſarium, inceſſanter, nempe illam cognoſcens; rectè autem cognoſcens & comprehendens tuam eſſentiam cum infinitis perfectionibus, verbum loqueris, & per intellectum generas filium; & quia hunc ab æterno generas, es Pater æternus: ipſe verò eſt filius tibi conſubſtantialis, & ſimiliter æternus, quia eum non accidentaliter, vel contingenter, ſed neceſſariò generas, & quia in utroque eſt eadem penitus eſſentia cum eadem increaturârum perfectionum plenitudine, hinc inter utrunque hæc ſola eſt diſcretio, quod tu ab æterno generans Pater ſis: ab æterno autem genitus ſit filius, & uterque unus Deus.

3. Tu Altiſſimus tamquam divinus Pater ab æterno es à te ipſo, & à nemine alio tuam habes eſſentiam: tu unigenitus Dei filius es ſimiliter verus Deus de Deo vero, quia eadem Deitas,

eadem eſſentia, eadem increaturarum perfectionum plenitudo in utroque eſt, multiplicantur autem perſonæ : tu enim Deus Pater es ab æterno generans, & non genitus : tu Dei filius es ab æterno genitus, & non generans: ſicut autem ab æterno es genitus, ſic Deo Patre non es minor, aut poſterior, quia in æternitate non datur inſtans antecedens, & ſubſequens; non igitur eſt poſſibile inſtans, quo eſſet Pater, & non eſſet filius: unus tamen eſt verus Pater; & alter eſt verus filius, & uterque eſt unus, idemque Deus. O ineffabile, & incomprehenſibile myſterium! iſtud in via, & ſub obſcuro fidei lumine ambulans firmiter credo, humiliter adoro, ibi autem in claritate intuebor, & glorificabo facie ad faciem.

4. Sed nondum cognovi totam ineffabilis myſterii ſubſtantiam; nam aliam adhuc, ſeu tertiam perſonam confiteor; tu enim æternus Pater vides in filio tuammet eſſentiam, cum infinita bonitate, & pulchritudine, verbo, cum ſingulis increatis perfectionibus: id ipſum, & totum tu Dei filius vides in Patre: atque ſic inter utrumque oritur

tur amor naturalis, & æternus; quia autem iſte non eſt accidentalis, ſed eſſentialis, ſeu ex ſummo, & neceſſario divinæ naturæ impulſu, hinc eſt verus Deus de Deo vero, nempe Spiritus Sanctus, qui ab utroque procedit, non tamquam à duobus, ſed ab uno principio, quia in utroque eſt eadem voluntas, cui competit Amor.

5. Quamquam autem Spiritus Sanctus ab utroque procedat, perinde tamen non eſt junior, aut poſterior te Deo Patre, & te Deo filio, quoniam & ipſe ab æterno exiſtit; non enim eſt poſſibile inſtans quo tu æternus Pater infinito amore non diligeres filium; & ſimiliter non eſt poſſibile inſtans, quo tu Dei filius infinito amore non diligeres Patrem; & rectè iſte infinitus, ac eſſentialis Amor eſt *Spiritus Sanctus*, verus Deus de Deo vero, & cum utroque unus Deus; tota enim, & una eſſentia cum infinitarum perfectionum plenitudine, prout habes tu ęternus Pater, & tu Dei filius, eſt in Spiritu Sancto, cum hac, & ſola differentia, quod ipſe nec generet, nec generetur, & ideo neque ſit Pater, neque filius,

quia

quia ab utroque procedit: & quia cum utroque habet eandem Deitatem & eſſentiam, hinc eſt perſona, & tertia in Sacroſancta, & individua Trinitate.

6. O ineffabile, o incomprehenſibile myſterium! tu tranſcendis omnem intellectus creati, aut creabilis activitatem, & ideo non eſt poſſibilis homo, non eſt poſſibilis angelus, qui te capiat: per fidem tamen te apprehendere valeo. Quanta jam eſt mea felicitas, dum natus ſum illo tempore, quo explicitè innotuiſti viatoribus? facio igitur quotidie, & ſæpius tui memoriam, inquiens, *in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*: ſed quia fides mea eſt languida, hinc feriò non recordor, quis ſis tu, æternus Pater, tu Dei Filius, tu Spiritus Sanctus; ſi enim feriò memor eſſem tanti myſterii, cum quanta reverentia, devotione, ac fiducia ſignum Sanctæ Crucis facerem? idque tantò magis, quia gratiam habui, ut *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* ab originali peccato mundarer: per hæc ipſa proinde verba ſanctiſſima poſſem me faciliter præſervare à peccatis actualibus, & per hanc viam

de

de ſalute æterna indubitanter confidere, dummodo fidem pro hoc primo, maximoque myſterio vivam haberem.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XIII.

7. Tres adoro perſonas ſanctiſſimas, & una quæque eſt verus Deus, & ſingulæ non ſunt, niſi unus Deus: & hoc ex parte intellectus eſt maximè arduum, quia hanc unitatem, & trinitatem per ſua principia combinare non poteſt: ego autem id totum abſque omni hæſitatione cum omni fideli homine crèdo, & confiteor; quia meum eſt credere, non verò diſcutere, & capere myſterium: quin imò, ſi poſſibilis foret homo, vel angelus, qui illud caperet, hoc ipſo Sacroſanctæ Trinitatis myſterium non eſſet ineffabile, & incomprehenſibile.

8. Dixi, o beata Trinitas, mihi ſufficit credere; ut te capiam, à me non exigis; ſi enim caperem imperſcrutabile myſterium, fides amplius mihi non eſſet neceſſaria. Deinde ſufficit mihi, dum nemo poteſt impoſſibilita-

tem

oſtendere. Corde igitur, & ore confiteor, adoroque tres perſonas ſanctiſſimas, in quibus eadem eſt natura, & eſſentia, cum eadem in creaturarum perfectionum plenitudine; omnipotens enim es tu Deus Pater: omnipotens tu Dei Filius; omnipotens tu Spiritus Sanctus, in ſingulis tamen eſt eadem omnipotentia. Æternus es tu Deus Pater: æternus tu Dei filius: æternus tu Spiritus Sanctus, & in ſingulis eſt eadem æternitas. Immenſus es tu Deus Pater: immenſus tu Dei filius: immenſus tu Spiritus Sanctus, & eadem immenſitas eſt in ſingulis. Sic proinde quoad omnes perfectiones increatas credo, & confiteor; hoc verum eſt, quod Deus Pater non ſis genitus, ſed generans: tu Dei filius non generans, ſed genitus: tu Sanctus Spiritus nec genitus, nec generans, ſed ab utroque procedens, & hæc dum firmiſſimè credo, non invenio, & nemo alius inveniet myſterii impoſſibilitatem: cæterùm quomodo hæc ſint poſſibilia, tu, o beata Trinitas, noſti; & ego videbo, quando gloria tua in claritate apparuerit.

9. Quin imò rectè ideo te agnoſco,

& ado-

& adoro, tamquam Deum altiſſimum, quia in te contines tot, tantaſque perfectiones, & myſteria, quæ intellectum meum infinitè tranſcendunt; ſi enim illa comprehenderem, à meo intellectu in infinitum non diſtares, & propterea non poſſem te tamquam Deum agnoſcere, quia eſſentia tua non excederet intellectus mei limites. Sed ego agnoſco, & adoro te Deum à me in infinitum diſtantem per omnia: ut te capiam, à me non deſideras, quia me non obligas ad quid impoſſibile. Vis autem, ut faciam rem mihi faciliter poſſibilem, ſcilicet ut ſub obſcuro fidei lumine ambulans te Deum unum in eſſentia, & trinum in perſonis ex toto corde, ex tota anima, & in omni fortitudine diligam. Sed tamen quantùm cuperem, ut jam nunc illud inſtans illuceſceret, quo poſſem, Te, ò beata Trinitas! o myſterium ſummum, & æternum! aſpicere, & adorare facie ad faciem?

10. De ſapientibus hujus ſæculi multi ſunt, qui impendunt vires ſuas, ut cognoſcant naturæ mirabilia: alii, ut ſtellarum curſum noverint; & hi omnes ſunt laude digni, ſi perinde ſa-

ta-

tagant, quatenus tuam, ò Creator omnium! ampliùs magnificent omnipotentiam. Quid autem poſſet animæ per fidem illuminatæ, & te diligenti, majus afferre ſolatium, quàm frequens, ſeu per dies ſingulos iterata Sacroſanctæ, & individuæ Trinitatis contemplatio? ſed hæc obſcura eſt, & in creatis non habet ſpeciem, vel ſimilitudinem? non obſtat; fides enim docet, te, ò beata Trinitas, exiſtere: fides pariter me certificat, quod tantò clarius te ſim viſurus facie ad faciem, quo magis nunc in via ambulans tui meminiſſe, te adorare, ac diligere ſtuduero, & tantò citius in claritate intueri deſideravero.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XIV.

II: A' Parte antè rècogitans, quid fuerit ante creationem hujus univerſi, mihi imaginor, fuiſſe ſpatium, quod milliones, & milliones annorum continet: ſed hoc, dum ulterius in antè recogito, nihil eſt ad illud inſtans, quo tu Deus Pater de tua ſubſtantia genuiſti filium tuum unigenitum; eſt enim ab

ab æterno perfectè genitus, & perfectè generatur *hodie*, ſeu in omnem æternitatem. Quę eſt unum indiviſibile inſtans. Magne Deus, quanta eſt differentia quoad noſtras operationes internas, & tuum ab intrà agendi modum? illę cum tempore pertranſeunt, tui actus interni non habent initium, neque finem; re ipſa autem apud te eſt unus actus in ęternum permanens: & propterea tuus unigenitus filius ab ęterno, & in ęternum eſt ſemper actualiter genitus; o miſterium ineffabile, & incomprehenſibile!

12. Infinitus, & ęternalis Amor, quo tu Deus Pater diligis filium, & ipſe te redamat, eſt Spiritus Sanctus, Deus verus de Deo vero, ęternaliter actu ab utroque procedens, quia procedit in indiviſibili nunc ęternaliter ſtante, in quo nihil eſt pręteritum, nihil futurum. o Myſterium ęternale, & incomprehenſibile! ab ęterno unus eſt Deus, ab ęterno ſimul ſunt tres perſonę Sanctiſſimę; una ingenita, altera genita, tertia nec ingenita, nec genita, ſed ab utroque procedens: & una quęque ſecundom eſſentiam, naturam, & perfectio-

num plenitudinem verus Deus: & tamen omnes tres non ſunt, niſi unus tantùm Deus, quem non capio, ſed in quem vivaciſſimè credo, quem ardentiſſimè diligo, cujus faciem tantò citius intueri unicè deſidero.

13. Multifariam, multiſque modis olim Deus locutus es Patribus in prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus es nobis in filio, quem conſtituiſti hęredem univerſarum, per quem feciſti & ſæcula. Quid autem ante mundi creationem es locutus? Domine Deus, ignoſce, in ſimplicitate mea interrogo, ea nimirum ratione, qua non nulli interrogant, quid ante creationem hujus univerſi feceris; novi equidem te pro tunc non fuiſſe locutum, aut operatum quidpiam, quia hoc deberet eſſe *præteritum*: apud te autem nihil prętеriit, & nihil adveniet, cùm in tua ęternitate omnia ſimul exiſtant. Veritas proinde hęc eſt, te ante mundi creationem *loqui*, & *loqui* hodie, & *loqui* in omnem ęternitatem, ſed Verbum duntaxat unicum. quod tuum divinum intellectum exhaurit: per hunc tamen cognoſcis, quidquid eſt divinum, omnia

actu

actu extra te exiſtentia, cunctaque poſſibilia.

14. Unicum Verbum, o Altiſſime, loqueris, & quidem ab ęterno, atque huic ęternali Verbo tuus divinus intellectus inceſſanter impenditur, & quidem ſub infinita dulcedine, ita ut nec ad inſtans ab eo deſiſtere valeat. Unicum Verbum loqueris, & tres perſonæ ſanctiſſimę audiunt: unicum Verbum tu Pater ęternus loqueris, & tuus unigenitus filius, Sanctuſque Spiritus non ſunt abſque verbo, dum neuter Verbum loquitur. O myſterium ęternale, & maximum! unicum Verbum loqui, & tamen fovere colloquium ęternum, ac infinita repletum dulcedine? unicum Verbum loqui, & tamen tribus perſonis ſanctiſſimis Verbum non deficit? ah iſta non capio, & propterea me, intellectum captivare oportet, donec hujus ęternalis, infinitique Verbi, & colloquii fiam particeps.

15. Quemadmodum in tribus ſacroſanctis perſonis agnoſco, & adoro unam Deitatem, & eſſentiam, ita intelligo, unam eſſe voluntatem, ac cor unum: & quemadmodum tu Deus Pa-

ter unicè, & infinitè filium diligis, atque ſimiliter ipſe te redamat, ità ab utroque procedit Spiritus Sanctus, qui eſt infinitus, ęternalis, & eſſentialis amor; ipſe autem in hoc ineffabili, incomprehenſibilique myſterio, ſeu ad intrà ulterius non diligit, cum ſit Amor ipſiſſimus, ex quo non poteſt alius Spiritus Sanctus procedere. O myſterium! o beata Trinitas! duę perſonę ſanctiſſimę ex eadem voluntate, ex eodem corde ſe infinitè diligunt, & tamen tres perſonę non ſunt abſque infinito, ęternalique amore.

Ave Maria

SOLILOQUIUM XV.

16. TU ęternus Pater, quidquid habes. Divinitatem ſcilicet, eſſentiam, & increaturarum perfectionum infinitudinem, das filio; uterque idipſum totum dat Sancto Spiritui: & tamen ubique eſt indiviſibiliter eadem deitas, eademque eſſentia cum iiſdem perfectionibus, ita ut, quidquid habet una perſona divina, altera ſimiliter habeat; & dum una dat alteri, nulla majo-

majoritas, vel authoritas reſpectu alterius intervenit, quia nulla perſona eſt anterior, major, aut excellentior, cum omnes ſint unus, idemque Deus, quem diligo, & cupio in æternum diligere.

17. Quidquid eſt in te, Pater æterne, id totum eſt in filio: & quidquid eſt utroque, id totum eſt in Sancto Spiritu: quin imo tu Pater es totus in filio, & ipſe totus eſt in te, & uterque totus eſt in Sancto Spiritu: nullus eſt extra alterum, nullus tamen eſt alter, quia perſonaliter perfectiſſimè diſtinguimini; nam tu Pater es Deus, ſed non es filius, quia non generaris, ſed de tua ſubſtantia per intellectum ab æterno generas: filius eſt Deus, ſed non eſt Pater, quia generatur, & non generat: Spiritus Sanctus eſt Deus, nec tamen eſt Pater, neque filius, quia nec generatur, nec generat; eſt enim eſſentialis, infinitus, ęternaliſque Amor, de voluntate, & corde Patris, filiique procedens: & ità ab utroque procedens eſt in utroque totus, idque per infinitam complacentiam, quam ſimiliter habes tu Pater ęternus, dum es totus in filio, & ipſe totus in te. O my-

ſterium! ò beata Trinitas! quis in Cœlo, quis in terra te capiat? ſed dum te non capio, ſaltem ex toto corde poſſum te diligere.

18. In Cœlo poſſunt te, o ſacroſancta, & individua Trinitas, omnes Electi videre, ac diligere, nemo autem te capit: multò magis autem non eſt de mundo quiſpiam, qui te capiat; ſi enim omnes ſcientifici convenirent in unum, pro te capienda omne tentamen eſſet fruſtraneum. Sed quid dico de omnibus hujus mundi ſcientificis? ſint tot mundi, quot infirmamento ſunt ſidera: ſint omnes in tot mundis homines tanta ſapientia pręditi, proùt fuit Salomon: vivant tot homines in tot mundis per mille, aut millies mille annos, dum te, o beata Trinitas, volunt capere, fruſtra laborant.

19. Mihi itaque, quià verba deficiunt, eſt ſufficiens, dum tu, Deus unus, & trinus, non dediſti mandatum, ut te, prout es, comprehendam, vel qualitercumque capiam, pręcepiſti autem, ut diligam te, prout es. Clarè interea, ſeu facie ad faciem, te intueri, & adorare beatis Cœli Incolis conce-

ceditur; adorare autem te, prout es, & diligere etiam quà viator poſſum. quin & mandatum habeo, quamquam reſpectu tui,quaſi in tenebris ambulem, Diligere igitur, prout es, ardenter cupio, & ex toto corde; ò ſi foret mihi amor, quo Seraphini te diligunt, taliter te Deum unum, & trinum diligerem! ſed etiam taliter te diligens nondum amarem, prout amari dignus es. Et quia in me non invenio, niſi amorem languidum, hunc ipſum uniam cum omnibus, te in terris, & vel maximè in beata Cœli patria, diligentibus: uniam inſuper cum amore, quo glorioſiſſima Sanctorum omnium Regina te diligit.

20. Amo, & amabo te, o ſacroſancta, & individua Trinitas! & in omnibus meis cogitationibus, verbis, ac operibus laudem dicam tibi ęterno Patri, unigenito filio Dei, & Spiritui Sancto, quemadmodum,& in virtute trium ſanctiſſimarum perſonarum ab originali peccato ſum ablutus, & ex filio irę, & indignationis factus particeps tuę amicitię, ac gratię. Diligam te o beata Trinitas, ſicut in virtute Baptiſmi con-

cutus ſum fidem, ſpem, & charitatem, nec non jus ad hęreditatem âternam. Diligam te, ſicut Eccleſia tua ſancta cunctas laudes, quas tibi decantat, concludit, per hęc verba ſanctiſſima, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Diligam te, ſicut finguli, qui te in Cœlis intuentur facie ad faciem, & ſinè fine dicunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: ego igitur, quia diligo te, ad hoc triſagion ſpiritu, & mente intererο. Et quia diligo te, quantùm deriderarem, ut cuncti mortales te noſſent, & mecum dicerent, *benedicta ſit Sacroſancta, & individua Trinitas!*

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XVI.

De Deo Patre.

1. CRedo in Deum Patrem omnipotentem: & hoc eſt fundamentum Orthodoxæ fidei, pro qua ad fundendum ſanguinem, ponendamque animam ſum paratiſſimus, Mediante tamen tua gratia, ſine qua nihil ſum: in quo autem tua, ò Pater ęterne, omnipotentia conſiſtit? quia hoc uuiverſum

in

in virtute unius verbi, & in momento temporis eduxiſti de nihilo, aut quia potes novum mundum, imò tot mundos, quot firmamentum habet ſidera, eodem modo condedere? hęc de tua omnipotentia aſſerens dico aliquid, rem ipſam tamen non dico; ſi enim tot mundos creares, quot ſtellę in firmamento conſpiciuntur, tot alii, & multò plures mundi ex parte tuę omnipotentię eſſent reliqui, quos vel ſucceſſivè, vel unà ſimul poſſes de nihilo educere. Sed & hoc facto alii, ac alii, multoque plures mundi tibi eſſent poſſibiles, quia nempe tua omnlpotentia in linea creationis exhauriri non poteſt. Tanta proinde hęc eſt, ut tibi non ſit modus, quo eam ad extrà ſufficienter demonſtres, quia creato quocunque opere, plura, pluraque ex parte tui ſunt poſſibilia.

2. Altiùs autem mentis meę oculos elevans, video quidpiam, tuam omnipotentiam exhauriens, ſed extra creationis lineam, quia illud non creas, ſed generas de tua ſubſtantia: hic igitur tua omnipotentia exhauritur, ut aliud ſimile generare non poſſis: tu ta-

 men

men manes inexhauſtus. Domine Deus, ſi ità de tuis creaturis loquerer, nemo non mihi contradiceret: & dum de te ità loquor, non homo, non angelus poteſt vel verbum opponere; nam ab ęterno nihil creaſti, generas autem tuum unigenitum filium: & iſte exhaurit tuam potentiam, ut alium filium generare non poſſis, tu tamen manes inexhauſtus, quia ab ęterno in ęterum pergis tuam eſſentiam ipſi communicare, ſeu eum *hodie*, ideſt, actualiter in omnem ęternitatem generas: & quamvis filio communices tuammet eſſentiam, quia tamen hæc eſt in utroque penitus eadem, hinc dando nihil amittis: & ideo manes inexhauſtus. Et hęc potentia, ſeu ęterna generatio exhaurit meum intellectum, ut poſſim eam adorare, non capere.

3. O Altiſſime, quid cogito, contemplans, mihi quoque promitti, ut poſſim videre potentiam, quæ penitus exhauritur, & tamen manet inexhauſta? in hoc mundo multi homines ardua, longaque itinera ſuſcipiunt, ut illius mirabilia videant: & ego; qui novi, mihi eſſe promiſſum, ut tuam, ò

Pa-

Pater ęternę, infinitam potentiam intuear, ex qua eſſentialem habes beatitudinem, tam modicum deſiderium in me ſentio, ut poſſim tantò citius illam aſpicere, & perindè tantò magis glorificare temetipſum? peregrinor in terra, hanc conculco pedibus, interea tamen ad ejus mirabilia, ſeu vanitates afficior, ubi multò magis deberem ſpiritum, & mentem ſurſum elevare; &, tuam contemplans potentiam, viderem ſaltèm in obſcuro tale objectum, ſuper quo tu ipſe ſummum, & interminabile habes gaudium.

4. Si ſępius, & ferventiùs, ſpiritu, & mente, in cœleſtibus converſarer, tuam nempe, ęternę Pater, contemplans infinitam beatitudinem, quam habes ex filio tuo unigenito, & ipſe ex te, atque nunc vis illius & me facere participem, quid eſſet in terris, quod poſſet cor meum ad ſe trahere? vel an daretur tribulatio, quę me nimiùm conturbaret, aut premeret? neutrum penitus. Et eſto, quod in hac lacrymarum valle peregrinans facie ad faciem te non intuear, poſſum tamen ejuſdem beatitudinis jam nunc aliqualiter fieri

particeps ; tu enim Pater es immenſus, ac perinde ubique prȩſens ; conſequenter & in medio cordis mei , ſi ego in charitate maneo : quin imò tu mihi es prȩſentior , quàm anima mea ſit in corpore; quapropter unicè eſt neceſſarium, ut melius attendam ad lumen fidei , & recogitem , in me ipſo contingere illud, quod eſt tua infinita beatitudo , & eſſentialis gloria .

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XVIII.

5. O' Altiſſime ! tu es Pater ȩternus : Pater omnipotens : Pater miſericordiarum , & Deus totius conſolationis ; es Pater ȩternus , dum ex tua ſubſtantia ab ȩterno generas filium , in quo infinitam habes complacentiam ; es Pater omnipotens , dum Cœlum , & terram de nihilo creas in virtute unius verbi , & in momentò temporis ; ſub hac autem ratione nomen *Patris* non eſt tibi ſoli proprium , cùm operatione ad extrà ſint Deo uni , & trino communes , Taliter proinde dico

dico, & repeto, per dies ſingulos (utinam ſub viva fide, vera devotione, & perfecta charitate!) *Pater noſter, qui es in Cœlis.*

6. Pater miſericordiarum es, dum peccatorem de inimico Dei in filium Dei, & de filio irę in heredem gloriæ ſuſcipis; dum quà Pater ęternus per intellectum generas tibi conſubſtantialem filium, eſt quidem plus, quam ſi de nihilo decies centena millia mundorum creares, quià hi omnes non eſſent Deus verus, de Deo vero, bene autem forent entia de nihilo facta; & dum actu de nihilo tot intellectuales ſubſtantias, & homines, quin, & Cœlum, ac terram feciſti, monſtraſti tuæ omnipotentię opus, quod omnem intellectum creatum tranſcendit. Dum autem tamquam *Pater miſericordiarum* peccatorem juſtificas, & ſuſcipis in filium, & heredem glorię, videtur ſuo modo eſſe mirabile majus, quam dum hoc univerſum educis de nihilo.

7. Volendo enim creare Cœlum, ac terram, & omnia, quæ in eis ſunt, ex parte tua nihil ultrà requiritur, niſi ut verbum loquaris: & hoc utique eſt tibi

fa-

facillimum, ut propterea ex parte tuæ omnipotentiæ nullam patiaris reſiſtentiam. Quando autem juſtificas impium, & in filium ſuſcipis, de quo ſtatu hunc debes reducere? heu ſtatus iſte talis eſt, qui tibi per omnia contrariatur; quid enim in peccatore vides, niſi iniquitatem? hanc verò abhorret tua omnipotentia, infinita ſapientia, & immenſa bonitas.

8. Tu Pater miſericordiarum non tantùm vides in peccatore iniquitatem, tibi immediatè, & per omnia oppoſitam, ſed perſæpe experiris ejus repugnantem tibi voluntatem; tu vocas per iteratas inſpirationes ab intrà, peccator autem tibi non præſtat auditum: tu mandas Cuſtodi Angelo, ut peccatori iniquitates in mentem revocet; & hunc ille contemnit. Tu excitas zeloſos verbi tui præcones, & conſcientiarum arbitros, ut arguant, increpent, obſecrent, quatenus peccatorum reducant in viam ſalutis; ille autem occludit aures, & in peccatis per ſeptimanam, per menſem, per annum, & ultrà perſiſtit, quin & pergit peccatis peccata ſuperaddere, ita ut pro ſe con-

ver-

vertendo vix ullibi patientia remaneat, niſi apud te Patrem miſericordiarum: & propterea, ut dixi, mirabile majus eſſe videtur, juſtificare peccaterem, quàm in virtute unius verbi hoc univerſum condere.

9. Pater! peccavi: & jam non ſum dignus vocari filius tuus; iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & tu peperciſti, diſſimulans peccata propter pœnitentiam: quando hoc univerſum feciſti ex nihilo, nullam quidem habuiſti cauſam, niſi tuam dumtaxat bonitatem, interea tamen ex nullo capite tibi fiebat reſiſtentia; dum autem dignaris me de ſtatu peccati ad juſtitiæ ſemitam, & viam ſalutis reducere, motivum hoc faciendi rurſum eſt tua infinita bonitas. Nihilominus vides in me multa tibi immediatè, & maximè contrariantia, iniquitatem nempe, & voluntatem tibi contradicentem: pergis tamen parcere. Ah Pater miſericordiarum! ſic nempe tuam omnipotentiam parcendo, ut plurimùm manifeſtas: væ mihi, ſi tuæ miſericordiæ vivam immemor! væ mihi, ſi deinceps in timore tuo non ambulem! væ mihi, ſi te ex

toto

toto corde, & perſeveranter non diligam!

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XVIII.

10. PAter Cœleſtis! ſi ego taliter monſtrarem, me eſſe filium, qualiter tu monſtras te eſſe Patrem, quanta in corde meo erga te regnaret dilectio, quantos in via perfectionis paſſus feciſſem, verbo, quàm longè aliter vitæ meæ tenor eſſet compoſitus? ego eram iræ, & æternæ perditionis filius; & tu pro me ab interitu liberando mittis tuum unigenitum, & tibi conſubſtantialem filium: ego ſum tamquam nihilum ante te, imò per peccata mea factus ſum quid deterius ipſomet nihilo, & tu pro me, terræ vermiculo, pro me filio iræ, das tuummet filium, quem, quia eſt ſplendor gloriæ tuæ, infinitè diligis: o exceſſum amoris paterni! quis enim es tu? quis & filius tuus unigenitus? & quis ſum ego.

11. Si Rex quiſpiam terreſtris daret filium unicè dilectum, & regni hæredem, ut per hunc vile aliquid mancipium

pium ex dura captivitate redimeret, tale factum erga hominem adeò vilem ab univerſo mundo agnoſceretur, tamquam amor, quo major vix dari poſſet inter homines. Dico amplius: ſi talis Rex præciperet filio, ut veſtitu regali ſe ſpoliet, & eo exomet mancipium, ipſe autem aſſumat hujus veſtes detritas, & ſordidas. Non dum ſatis: Si Rex irrevocabilem ferret ſententiam, ut moriatur filius ſuus unicè dilectus, quatenus mancipium evadat mortem, aliàs inevitabilem, quin & ſuccedat in hæreditatem innocenter interempti principis: ſi, inquam, Rex terreſtris ſic procederet cum filio ſuo unicè dilecto, talis amor erga vile mancipium foret tantus, ſuper quo Cœlum, & terra deberent obſtupeſcere.

12. Deus Pater miſericordiarum! hæc, & plura tu erga me peccatorem feciſti; ego propter iniquitates meas non tantùm temporalem, ſed & æternam captivitatem fui promeritus: ego, tamquam peccator, factus ſum mancipium, non hominis, ſed animarum hoſtis infenſiſſimi: ego propter peccatum ſpoliatus fui candida veſte innocentiæ,

ve-

velut abominabile monſtrum in oculis tuis apparens: verbo, ego propter peccatum condemnatus eram ad mortem æternam: & tu Pater, quia miſerationes tuæ ſunt ſuper omnia opera tua, mittis tuum unigenitum, & infinitè dilectum filium: huic imponis, ut pro me ab æterna captivitate redimendo, ſemetipſum tradat in captivitatem, & quidem ſub hoſtibus crudeliſſimis: ordines, ut pro me ſtolâ ſanctificantis gratiæ amiciendo, ſemetipſum exinaniat, & occultata divinitate ſuſcipiat ſervi ſpeciem: imponis, ut, ne ego maneam æternæ mortis filius, in ara crucis propriam ponat animam: o Pater, quia Deus es, hinc tibi poſſibilis fuit tantæ bonitatis, tantæ miſericordiæ tanti amoris exceſſus.

Ave Maria

SOLILOQUIUM XIX.

13. SI omnes in mundo regnantes, aut in domo tua Domine, ex ſublimi honorum gradu fulgentes, legationem ad me mitterent, cum dicto, eo intentam eſſe omnem ſuam ſolicitudinem,

dinem, ut mihi aſſiſtant, quatenus mihi bene ſit per omnia, prout deſiderare potuero: ſi inſuper unuſquiſque mihi intimari faceret, ſe paratum ad cedendum mihi regno, vel eminentiſſimi honoris gradu, quales de tanta benevolentia, & amore cogitationes conciperem volens nimirum obedire naturæ inſtinctui?

14. Pater, Domine Cœli, & terræ, quid jam ſit amor, vel benevolentia erga me omnium de mundo regnantium, dum conſidero paternum amorem, quo tu me inceſſanter proſequeris? Tibi non erat ſufficiens, ut pro me perdito tuummet unigenitum filium dares, me per gratiam ſanctificantem in filium tuum ſuſciperes, & ad protegendum me in omnibus viis contra corporalia, ſpiritualiaque pericula mitteres de Cœlo Angelum, ſed inſuper ex impulſu infiniti amoris regnum cœleſte, & æternum mihi præparas: tale nempe regnum, de quo omne periculum ceſſat, ne illud deinceps amittam: tale regnum, in quo eſt perpetua pax, & tranquillitas: tale regnum, quod abundat immenſis, & æternalibus gaudiis: verbo, tale

tale regnum, ubi eſt omnium deſiderabilium bonorum aggregatio, cum excluſione omnis penitus mali uſque ad gradum noviſſimum. O exceſſum amoris paterni! ſiccine te extendis ad creaturam viliſſimam? & quia ego tantum amorem non capio, utinam iſte me caperet, ut tantò citius in tale regnum ingrederer.

15. Confiteor, quod dum iniquitates meas conſidero, non ſim dignus vocari filius tuus: nihil proinde mihi eſſet reliquum, niſi ut corde contrito, & humiliato inceſſanter dicerem: *qui plaſmaſti me, miſerere mei! qui venturus es cum majeſtate magna judicare vivos, & mortuos miſere mei!* quia autem tu ipſemet, etiam poſtquam te toties, & tam graviter offendere non timui, me invitare dignaris, hinc nihil aliud deſideras, niſi ut te piiſſimum Patrem miſericordiarum invocem, & ſaltem impoſterum ex toto corde diligam: & dum hoc facio, tu non recordaris iniquitatum mearum, me autem per tuam gratiam in filium ſuſcipis, & regni cœleſtis, ac æterni facis parricipem. O exceſſum amoris paterni! ſiccine tu peccata

vindi-

vindicas? *Vindico dicis, peccata non deleta per pœnitentiam: ubi hæc agitur, illa non reminiſcor*.

16. O Amor! quam ſerò cognovi te, quam ſerò amavi te? ſed tamen nondum eſt ſerò nimis, dummodo ſaltem pro reliquis vitæ meæ diebus, te, o Pater, qui in Cœlis es, ex toto corde diligam, & ab omni peccato declinem: dummodo ſaltem deinceps in cogitationibus, verbis, & operibus ſanctificem nomen tuum, faciamque voluntatem tuam ſanctiſſimam; qualiter hanc faciunt omnes, qui te intuentur facie ad faciem. Dixi, nondum eſt ſerò nimis, dummodo ſaltem nunc ſeriò ſtudeam rapere regnum, quod quidem violentiam, ſed a diligentibus faciliter ſuperabilem, patitur; & quia nondum eſt ſerò nimis, ſaltem modò pergam te ex toto corde, & ex tota anima diligere, dum, quis ſis, tu Pater æternus, Pater omnipotens, Pater miſericordiarum, amplius intelligo.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XX.

De Filio Dei.

1. TU unigenitus Dei filius es ſplendor gloriæ Patris, & figura ſubſtantiæ ejus: tu ſedes ad dexteram majeſtatis in excelſis; tu es candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius: generationem tuam quis enarrabit? tu es a Patre, es tamen unum cum ipſo; te Pater æternus ex ſua ſubſtantia generat, non tamen eſt te major, vel anterior: tu ſedes âd ejus dexterem, & Pater eſt totus in te, & tu totus in Patre, ſub mutua nimirum, infinitaque complacentia. Verbo; tu es unigenitus Dei filius, totam eſſentiam habens a Patre, cum quo es unum, quia tu, & Pater unus eſt Deus, in quem credo, quem ex toto corde diligo.

2. Tuam generationem æternam, o unigenite fili Dei, quis enarrabit? non homo, non angelus: &, ſi tamen deberem ad hanc interrogationem dare reſponſum, aliud non poſſem dicere, niſi

niſi quod generatio tua ſit incomprehenſibilis, quam ſolus ipſemet noſti, & qui te generat, Pater. Non igitur a me deſideras, ut generationem tuam enarrem, bene autem, ut diligam: ſed non dilexi, prout potuiſſem, & debuiſſem diligere, quia tamen tu ſedens ad dexteram Majeſtatis in excelſis non deſpicis humilia, de generatione tua verbum adhuc loquar. Si dico, quod tu ab æterno ſis perfectè genitus, non dico niſi veritatem certiſſimam; ſi dico, quod perfectè genereris hoc ipſo inſtanti, quo loquor, eſt iterum æterna veritas: ſi dico, te perfectè generari poſt decies centena annorum millia (ſi æternitas in annos eſſet diviſibilis) eſt eadem veritas; quis igitur, o unigenite fili Dei, generationem tuam enarret?

3. Apud nos homines, qui per viam generationis ab Adamo deſcendimus, alia eſt rerum ſeries; id enim, quod actu natum eſt, non amplius naſcitur: & quod naſcitur actu, non fuit natum: quod autem naſcetur poſt multa tempora, actu nec natum eſt, neque naſcitur. Æterne fili Dei, aliter de te credere, & loqui oportet; tua enim genera-

tio

tio non commenſuratur ſecundùm durationem temporis, quod in præteritum, præſens, & futurum dividitur; tu autem generaris in *æternitate*, quæ nec præteritum, nec futurum reſpicit, cùm ſit unum indiviſibile *nunc* ſemper eodem modo permanens: in veritate igitur credo, & ſentio, te ab æterno eſſe perfectè genitum, te perfectè generari actu, & te perfectè in æternum generari, idque ſecundùm intellectus mei utpote limitati ideam, ex qua non poſſum omnia ſimul cognoſcere. Tu proinde ſemper actu perfectiſſimè generaris, & es perfectiſſimè genitus, nempe in eodem indiviſibili *nunc* ſemper ſtante. Tuam itaque generationem æternam non capio: hanc tamen adorare, ac diligere poſſum; & hoc faciam.

4. Tu unigenite fili Dei ſemper actu perfectiſſimè generaris, & es perfectiſſimè genitus, nempe per ſemper actualiſſimam operationem intellectus æterni tui Patris, qui divinam eſſentiam, infinitam pulchritudinem, bonitatem, ſeu una ſimul omnes increatas perfectiones cognoſcit, & quidem actualiſſimè ab æterno in æternum; hæc itaque cogni-

tio non habet initium, medium, aut finem, cùm ſit æterna: & quia talis eſt, non eſt contingens, vel accidentalis, prout in angelis, & nobis hominibus: illa proinde cognitio eſt ſubſtantia, ſeu neceſſarium Verbum intellectus paterni. Et hoc ipſum Verbum es tu ipſe unigenitus Dei filius, verus Deus de Deo vero; & tamen unus, idemque Deus cum æterno Patre; nam in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quis igitur, ò unigenite fili Dei! tuam generationem enarret? hoc autem, tamquam quid impoſſibile, a nullo mortalium deſideras: vis tamen, ut illam humiliter adorem, ac pleno cordis affectu diligam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXI.

5. Filli Altiſſimi, tuam generationem æternam non enarrat homo, non angelus: ſed & tua nativitas in tempore omnem intellectum humanum tranſcendit, *Virgo* enim *concipiet*, *& pariet filium*, *cujus nomen Emmanuel*, *hoc eſt Deus nobiſcum*. Et iſte es tu ab

æterno genitus ex Patris ſubſtantia; quoniam *parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Ab æterno itaque naſceris Deus verus de Deo vero, unus tamen, idemque Deus es cum æterno Patre: in tempore naſceris ex Virgine tamquam parvulus, idem tamen æternus Deus, æternique Patris filius permanes. Et propterea quis tuam ſecundam, ſeu in tempore factam generationem, aut nativitatem enarret?

6. Unigenite fili Dei, dum ab æterno generaris ex Patris ſubſtantia, es ſplendor gloriæ ejus, & figura ſubſtantiæ ejus, ſeu es idem cum æterno Patre in Deitate, eſſentia, cunctiſque perfectionibus: dum in tempore ſecundùm humanitatem ex Virgine naſceris, appares ſub ſpecie parvuli. Ab æterno es in ſinu Dei Patris: in tempore jaces in medio duorum animalium; quia *bos cognovit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Ab æterno eandem cum Deo Patre Majeſtatem poſſides: in tem-

tempore appares tamquam pauper, & contemptibilis, quia etiam tui te non receperunt. Quaſcumque igitur circumſtantias quoad tuam generationem in tempore conſiderem, non niſi paupertatem, & contemptibilitatem, ex parte mundi video: permanes tamen æternus Deus, æternique Patris filius, & Dominus immenſæ Majeſtatis: quis igitur tuam nativitatem in tempore enarrare poterit?

7. Conſideravi opera tua, & expavi; tu Altiſſimi filius es Deus æternus, Deus omnipotens, & immenſæ Majeſtatis Dominus; in præſepio autem jaces ut pauper, & contemptus a mundo, quia iſte te non cognovit. Tu es Deus Cœli, & univerſorum Dominus, omnia portans verbo virtutis tuæ, & appares puero parvulo ſimilis: per te nutritur, & vivit, quidquid habet vitam, & tu penuriam ſummam pateris: te laudant Sol, & Luna, cunctaque firmamenti ſidera: homines autem, quos ad tuam feciſti imaginem, te nolunt agnoſcere. Te Deum ſuum, & Dominum ſuum agnoſcunt, & adorant omnes Cœli Spiritus: Herodes verò, & cum iſto cuncti pec-

catores te repellunt, magis volentes locum parare diabolo, Hæc ne tu filius æterni Patris, tu immenſæ Majeſtatis Dominus facis, & poteris? & cur? quia rectè per hanc viam voluiſti animam meam quærere, & ſalvam facere.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXII.

8. Ergòne credibile eſt, ut habitet Deus cum hominibus ſuper terram? indubitanter; quoniam tu æternus Deus, æternique Patris filius in terris viſus es, & cum hominibus converſatus es, non poſſidens hujus mundi ſubſtantiam, non quærens honores, vel plauſum populi, viſus autem, & converſatus es ſub paupertate, humilitate, & contemptu, quaſi fabri filius. Apparuiſti inſuper longum ſervans ſilentium; tu es Verbum æterni Patris, qui per totam æternitatem unum dumtaxat Verbum loquitur, & ita loquens conſubſtantialem ſibi filium generat: tu ergo es Verbum iſtud, verus Deus de Deo vero: & ſub unico Verbo in ſacroſancta Trinitate arcaniſſimum, dulciſſimum,

ac æternale datur colloquium; & tamen tu unigenitus Dei Filius in mundo, & ſub natura humana converſans per triginta annos palam non niſi ſemel, ſeu duodecimo ætatis tuæ anno loqueris: quid igitur ſibi vult tam longum ſilentium?

9. Tres dumtaxat annos impendis pro annuntianda cœleſti doctrina, & voluntate Patris tui, & per triginta annos quaſi continuum ſervas ſilentium, quid per iſtud debeo intelligere? cur tamdiu ſiles inter homines, cum ſis Verbum æterni Patris, apud quem implicat, ut non loquatur, vel ad unicum inſtans? vis nempe per longum inter homines ſilentium innuere, iſtud eſſe neceſſarium omnibus, qui vocem Dei audire & ad ipſum finaliter pertingere cupiunt: nemo enim cum Deo, vel de Deo bene tractat, niſi qui libenter ſilet quoad homines: nemo ſupernis repletur cogitationibus, niſi qui deditus eſt ſilentio: nemo poteſt in ſpiritu dirigi, & in via virtutum proficere, niſi qui linguam refrænare didicit: nemo ardua, & gravia ad tuam gloriam ſecurè tractat opera, niſi per ſilentium

ad ea ſe præparet. Verbo: nemo fortiter debellat hoſtes animæ, mundum, diabolum, & carnem, niſi qui multùm ſilens æternas veritates profundè in corde ſuo radicat.

10. Novi itaque, o increata ſapientia! cur tu inter homines converſans diu ſilueris: & propterea aut me ſecundùm tuum exemplum ſilere oportet, aut in bono non proficiam, quin imo continuò magis deficiam; *Si quis* enim *putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio*: at verò, *ſi quis in lingua non offenderit, perfectus eſt vir*. Silens igitur ſecurè tractabo primum, & maximum æternæ ſalutis negotium, ubi multùm loquens de vanitatibus conturbo animam, & gravo conſcientiam. Siluiſſe de iis, quæ hujus mundi ſunt, neminem pœnituit; multi autem in noviſſimis debuerunt dicere, væ nobis, quia ſumus locuti, propriam nempe conſcientiam gravantes, alienam famam lædentes, & mala dantes exempla. Dixi igitur; ponam ori meo cuſtodiam, ut propter linguæ peccata non debeam habere pœnitudinem.

11. O

11. O beata ſolitudo, in qua tu, Verbum incarnatum, ad cor loqueris! o beatos illos, qui cum Arſenio fugiunt, tacent, & quieſcunt! qui nempe fugiunt inutiles, & tantò magis nocivas converſationes hominum: qui ſilent, ſeu occludunt aures ad vanitates hujus ſæculi: qui quieſcunt in ſecura conſcientia, & corda ſua ſurſum ad cœleſtem Patriam elevant! o beatos Eremos, & ſolitudines, quæ ab incolis veſtris pauca, aut nulla oris verba percipitis, videtis autem mille, & mille illorum cogitationes, & ſuſpiria per dies ſingulos ad ſuperna tendere! o beatos muros, ſeu monaſteria! quæ propter ſilentium, vitamque ſolitariam magis paradiſus terreſtris, quam clauſura nuncupamini. Beata igitur ſolitudo, & vita quieta! qua dum frui non poſſum, ſaltem ſpiritu, & mente elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.

12. Sed neque neceſſum eſt, ut ad finem fruendi beatitudine ſilentii, vitæque ſolitariæ in longinqua ſolitudine commorer, aut ſaltem intra quatuor muros monaſterii, vel clauſtri habitem, quia ſufficit ad aliquod templum acce-

dere; hic enim perfectiſſimum ſolitudinis Magiſtrum invenio: ades namque tu Verbum Incarnatum, utpote verus Deus, & homo latens ſub modicis ſpeciebus Euchariſticis. Hic proinde ades per longa jam tempora, & dignaris adeſſe uſque ad conſummationem ſæculi: hic non loqueris de ore verbum, qui es Verbum æterni Patris; loqueris autem de corde ad cor, iſtud igne divini amoris accendens, & inflammans, ac confortans contra animæ hoſtes. Hic igitur longum ſervas ſilentium; vides tamen, & audis omnia: ſimiliter & ego, quando aliter fieri non poteſt, niſi ut multa videam, & audiam, deberem ſilere ad mundi vanitates, ac nugas, & multa tecum de corde conferre: & ſub tali ſilentio quantis adhuc in mundo abundarem ſolatiis, & ſupernis illuſtrationibus?

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXIII.

13. MAgnum erat mirabile, quando tu, Verbum Incarnatum, verus Deus, & homo, univerſorumque Do-

Dominus inter homines velut incognitus per triginta annos ambulaſti, mirabile ſimiliter erat maximum, quando inter homines te plurimùm exinaniſti: dicebat Lucifer, monſtrum ſuperbiæ: *aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*: tu, utpote idem Deus cum Deo Patre, & Spiritu Sancto es Altiſſimus, & tamen qua homo deſcendiſti, & te plurimùm humiliaſti: imò factus es opprobrium hominum, & abjectio plebis. Hic dicere intellectus horret, fides autem docet, quod id totum in te, actu, & multipliciter contigerit.

14. Domine Jeſu, quomodo iſta conveniunt, *eſſe Altiſſimum, & ſe humiliare infra omnem hominem*? eò uſque nimirum ſe tua extendit humilitas, ut hanc per intellectum aſſequi non valeam: non enim capio, quomodo ratio *Altiſſimi*, & *infimi* in una perſona ſubſiſtat: videtur hic repugnantiam intercedere; dico autem, *videtur*: nam re ipſa non eſt ulla impoſſibilitas; quoniam in te Deo Incarnato, & ſolo id totum fieri potuit, & omnino factum eſt. Tu quippe & ſolus perfectè cognoſcis, quanta inter naturam divinam, & hu-

manam ſit differentia: & cùm tamen humanitatem aſſumpſeris, hinc qua homo coram Deo te plurimùm, ſeu plus, quàm omnis homo, humiliaſti: eras proinde adhuc *Altiſſimus*, utpote unus, & idem Deus cum Deo Patre, & Sancto Spiritu, qua homo *autem* monſtraſti formam infimi, quia nullus homo potuit ſe coram Deo ampliùs demittere.

15. Per profundiſſimam humilitatem tu Altiſſimi filius eas voluiſti reparare injurias, quas noſtra ſuperbia tuæ divinæ Majeſtati intulit; tu es ſplendor gloriæ Patris, & qua homo multo tempore ambulas tamquam incognitus, & quaſi unus de communi plebe: nos ſumus pulvis, & cinis, imò ſubſtantia noſtra eſt ante te tamquam nihilum, & tamen nihil magis, quàm humiliari, & contemni fugimus; alter autem ſuper alterum eminere, & honorari deſiderat. Heu Incarnate fili Altiſſimi, quantùm a tua humilitate diſtamus? quanta eſt noſtra ſuperbia, pro qua palàm arguenda tu te ita humilias?

16. Domine Jeſu, tu es æternus, & unus cum Deo Patre, & Spiritu Sancto Deus: tu in virtute unius verbi omnia feci-

feciſti de nihilo: tu Soli, lunæ, & ſtellis dediſti lucem, & firmamento ſplendorem; & tu ipſe ſub forma hominis exinanis temetipſum, occultas infinitam, quam in te habes, gloriam, & pro longo tempore ambulas velut in tenebris nihili, quaſi non eſſes quidpiam de iis, quæ ſunt manuum tuarum opera. Tuam divinitatem occultaſti in humanitate, & recte ideo etiam tua humanitas ſe magis abſcondere voluit; o immenſa humilitas!

17. Coram te, Chriſte Jeſu, omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum ante faciem ſuam ſe profundiſſimè humiliant ſupremi Seraphinorum cum univerſo beatorum Cœli Spirituum Exercitu: & tu qua homo, ac in mortali corpore temetipſum exinanis, & humilias, volens per omnia, quæ facis, in conſpectu Dei apparere tamquam nihilum. Dum igitur te ita humiliaſti, aut neceſſum eſt, me de tua, & tanta humilitate non habere fidem, aut ſi iſtam habeo, humillimis tuis veſtigiis non poſſum non inſiſtere, & quidem tantò magis, quia mihi non dediſti mandatum, ut mortuos reſuſcitem,

aut cœcis viſum, vel ſurdis auditum reſtituam: dixiſti autem, *diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Hoc proinde diſcam, & mediante tua gratia faciam, ac faciendo inveniam animæ meæ requiem.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXIV.

18. IN generatione æterna, unigenite fili Dei, agnoſcis Patrem, qui te de ſua ſubſtantia generat, non es autem ipſi ſubjectus: atque ideo nec potes Patri præſtare obedientiam: hæc enim ſuperioritatem & minoritatem ſupponit: at verò in generatione æterna non es Deo Patre minor, vel poſterior, cùm in utroque ſit eadem eſſentia cum iiſdem infinitis perfectionibus: es igitur unum cum Patre intercedente hac, & ſola differentia, quod ipſe non ſit genitus, ſed generet; tu autem ſis genitus, & non generes. Cùm itaque ſecundùm generationem æternam non poſſis fieri obediens, in tempore non recuſas erga Patrem præſtare obedientiam.

19. Tu Altiſſimi filius ſecundùm generationem æternam es ipſi ſimilis, ſeu unus cum ipſo Deus: in ſæculo de Maria Virgine carnem aſſumens minor es Patre, nempe ſecundùm humanitatem: quapropter fieri potuit, & factum eſt, ut erga Patrem fieres obediens; de te enim erat ſcriptum in capite libri, ut faceres voluntatem Patris, qui in Cœlis eſt: & feciſti. Erat ejus voluntas, ut hunc mundum ingrediens naſcereris inter ſummæ paupertatis circumſtantias: & ita natus es; quia enim tui te non receperunt, hinc te in ſtabulo naſci, & in medio duorum animalium reclinari oportuit. Quare ex ipſo facto monſtraſti, quid de mundi ſubſtantia, & plauſu ſentire debeam.

20. Erat voluntas Dei Patris, ut per triginta annos ambulares quaſi in occulto, aut velut fabri filius, quatenus per tuum exemplum in paupertate, & labore manuum prædicares mundo, quid ſint hujus honores, voluptates, & divitiæ: atque ideo ante prædicationem de ore factam exemplum præmiſiſti, faciens nempe, & deinde docens. Erat voluntas Patris tui, ut poſtquam

per

per quadraginta dies, & noctes ſervaſſes jejunium, palam ambulares, & inter labores, ſudores, ac ærumnas mundo annuntiares doctrinam, quam Pater tibi communicavit: & hoc totum perfeciſti, non præteriens verbum de omnibus, quæ tibi erant impoſita. Sic igitur erga Patrem cœleſtem factus es obediens, & hanc obedientiam capio, quia ſecundùm humanitatem eras minor Deo Patre.

21. Aſt, o Incarnate Deus! aliud in te video, quod credere poſſum, nullo autem modo capere; dum minor es Patre ſecundùm humanitatem, non implicat, imò ſuadet ratio, ut erga Patrem, te nempe majorem præſtes obedientiam: an autem iſtud ſit poſſibile, ut obediens fias erga homines, quamquam ſanctiſſimos, nimirum parentes? nonne etiam poſt aſſumptam humanitatem adhuc permanes Creator, & univerſorum Dominus, cui omnes creaturæ obediunt? & tu obedientiam præſtas hominibus? tu es, ſine cujus voluntate nihil contingit, & tu temetipſum aliorum voluntati ſubmittis? novi, & confiteor, quòd *Maria* immaculata Vir-

Virgine, & Matre tua pretioſiſſima nihil extra te ſit purius, nihil pulchrius, nihil excellentius: novi autem & iſtud, te eſſe ejus Creatorem, ac Dominum: & tu tamen Mariæ, uti & Patris tui Joſeph voluntatem in opere, ac de corde exequeris? & cur iſtud? quia nempe per obedientiam vis Deo Patri perfectiſſimum offerre ſacrificium,

22. Clementiſſime Jeſu! quantùm tua obedientia meam confundit ſuperbiam? tu es Deus Cœli, & cunctorum viſibilium, inviſibiliumque Dominus: tu es, coram quo univerſus cœleſtium ſpirituum exercitus ſe proſternit in faciem, te adorans ſub humilitate profundiſſima: tu tamen ut homo non horres, imo gaudenter p eſtas obedientiam Parentibus tuis ſanctiſſimis; ego ſum pulvis, & cinis, ſum in conſpectu tamquam nihilum: imò, dum te per peccata mea offendere non timui, factus ſum, quid deterius nihilo; & tamen recuſo, ac, prout poſſum, excutio jugum obedientiæ. Tu Deus-Homo *ex amore mei* facis voluntatem hominum: ego, peccator, non homo ſanctus, non angelus, dum hominibus præſto obedien-

dientiam, hoc *ex amore tui* facio: heu quanta inter *ex amore mei*, & inter *ex amore tui* eſt differentia? ſit, igitur, *ex amore tui* obedientiam in opere, & ſimul ex corde præſtabo impoſterum, optimè ſciens, quòd *vir obediens loquetur victoriam*.

Ave Maria

SOLILOQUIUM XXV.

23. TUA obedientia, æternus Deus, æternique Patris filius, ſub forma hominis ſe ampliùs, ſeu eò extendit, ut factus ſis obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis; quis præcogitaſſet, eſſe poſſibile, ut Deus converſetur inter homines? factum tamen eſt: ſed hoc ſtante cui in mentem veniſſet, ut contra filium Altiſſimi, ambulantem ſub forma hominis, fiat judicium, & proferatur mortis ſententia? utrumque tamen contigit, quia poſtulabat decretum Dei Patris, ut tu, mi Jeſu, animam poneres, & pro noſtra inobedientia, pro noſtra ſuperbia, pro noſtris peccatis fieres obediens uſque ad mortem.

24. Tu

24. Tu filius Dei vivi es ſplendor gloriæ æterni Patris, & figura ſubſtantiæ ejus : te propterea Pater infinite diligit : ſed tu Patrem infinitè diligis ; & contra te ferri poſſit mortis ſententia? tu es innocens, & ſanctus, imò ipſamet innocentia, & ipſamet ſanctitas ; an igitur juſtitia in te inveniet quidpiam, quod per mortis ſententiam vindicet? in ore tuo non eſt inventus dolus, vel mendacium, & tu condemnaris ad mortem? ah omnino juſtitia in te invenit quid morte dignum, meam nempe, & omnium iniquitatem, quam Dominus in te poſuit : & propterea, ut nos morte ęterna non moreremur, tu dignaris fieri obediens uſque ad mortem.

25. Tu es filius æterni Patris : unde, ſicut eandem cum ipſo habes eſſentiam, ſic eandem, nempe infinitam Majeſtatem poſſides ; & ideo omnes angelici ſpiritus una voce *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* proclamant : & creaturæ te accuſant de malefactis? pulchritudinem tuam Sol & Luna mirantur ; & tu ad ſummum naturæ horrorem ſpoliaris veſtibus? tu omnibus bene feciſti ; & horren-

rendum in modum flagellaris in toto corpore, ut à vertice uſque ad plantam pedis in te non ſit ſanitas? Tu es *Rex regum, & Dominus dominantium*; & doloroſiſſimam de ſpinis coronam portas in capite? tu infirmantibus dediſti ſalutem, mortuis vitam, & in cruce moreris, inter duos ſceleratos medius, atque ideo quaſi peſſimus omnium?

26. Chriſte, fili Dei vivi, ergòne poſſibile eſt, ut hæc patiaris in natura humana; & fias obediens uſque ad mortem? quid interrogo? factum eſt, & ideo fuit poſſibile. Factum eſt ad ſummum univerſi horrorem; Sol enim non potuit aſpicere ſuumCreatorem inCruce morientem: & ideo ſuum ſplendorem per tres horas abſcondit. Terra debuit contremiſcere, quid nimis grave ſibi erat, ut ferret ſuum Factorem, pendentem, & morientem in Crucis patibulo. Petræ ſciſſæ ſunt, quia erat tremendum nimis ſpectaculum, quando creaturæ contra Creatorem, homines contra Deum non horruerunt agere, & nec dum commovebantur ad ſigna, quæ propriis oculis fieri cernebant.

27. Factum eſt, ut tu, Chriſte Jeſu, in quo Deus Pater plurimùm ſibi complacet, debueris pati, ac mori, & taliter: tu es, in quo corporaliter habitat infinita Majeſtas, & divinitas; & tu toleras maledictiones, improperia, & blaſphemias abſque numero: tibi infinita debetur gloria, & factus es virorum noviſſimus, vir dolorum, opprobrium, & abjectio plebis. Tu es ſpecioſus præ filiis hominum, in labiis tuis diffuſa eſt gratia, & eò deveniſti, ut in te non eſſet ſpecies, neque decor. Tu es Deus immortalis, ac impoſſibilis; & in natura humana voluiſti doloroſiſſimam, & ignominioſiſſimam Crucis mortem ſubire. Ah! quid Patrem tuum, qui in Cœlis eſt, commovit, ut tam duram contra te ferret ſententiam? nihil aliud, niſi quod unicè malum eſt, nempe peccatum: & iſtud non tu, ſed ego feci.

28. Tu, inquam, peccatum non feciſti; nec enim erat poſſibile, ut imperfectionem vel minimam committeres, cum eſſes Deus Homo; quia autem aſſumpſiſti peccati ſpeciem, hinc Pater Cœleſtis implacabile odium adver-

verſùs peccatum concepit, quamquam iſtud non commiſeris ipſemet, ſed ſolùm ejus ſpeciem aſſumpſeris, & quidem non ex neceſſitate, ſed ex infiniti erga animam amoris impulſu. Eò ſe extendit implacabile odium Patris tui contra peccatum, quod non feciſti, ſed ſolùm aſſumpſiſti, ut tu æternus, immortalis, omnipotens, Deus in natura humana debueris pati, ac mori, & taliter, nempe in opprobrioſiſſimo Crucis patibulo: & tamen juſtus eſt Pater tuus, & rectum judicium ſuum, dum contra ſolam peccati ſpeciem talem pronuntiavit ſententiam.

29. Chriſte Jeſu, fili Dei vivi, tu aſſumpſiſti duntaxat peccati ſpeciem, te tamen pati, & taliter, ac poſt fuſum pretioſiſſimum ſanguinem mori oportuit: ſi ità, quid nunc loquor? ego non porto peccati ſpeciem, ſed ſum re ipſa peccator, & rectè propter peccata mea non ſum Dei filius, ſed inimicus Dei: in me non habitat infinita Majeſtas, ſed ſum vilis terræ vermiculus, ſum nihilum, & propter peccata quid deterius nihilo: tibi unigenito Dei filio facta non eſt miſericordia, quia Pa-

ter

ter tibi non peperit, ſed te tradidit in mortem Crucis, & in te non erat, niſi peccati ſpecies; ſi ità, repeto, quid nunc loquor? ego non porto peccati ſpeciem, ſed ipſummet peccatum: & iſtud Deus Pater implacabili odio proſequitur: quid igitur mihi erit futurum? actum de me eſſet in omnem ęternitatem, ſi cum uno gravi peccato comparerem ante divinum tribunal.

30. Nunc primùm agnoſco malum læthalis peccati, ſuper quo Altiſſimus odium concipit infinitum, & implacabile: nunc ſcio, quid ſit peccatum, pro quo delendo ille pati, & mori debuit, qui erat innocentiſſimus, Sanctus Sanctorum, Deus Homo. Non linguæ hominum, non linguæ Angelorum, non ipſe infernus cum omnibus, quæ habet, tormentis poſſunt malum læthalis peccati ſufficienter deſcribere: ſufficit autem, ut te, unigenitum Dei filium in Cruce pendentem, ac morientem intuear, & malum gravis peccati jam intelligo; hìc habeo librum, qui illud ad vivum, ſeu perfectè deſcribit, & explicat; tu enim Incarnate Deus, aſſumpſiſti duntaxat peccati ſpeciem; & ità po-

poteris, ità in Cruce moreris: quid igitur meretur, ipſummet peccatum? quid merentur peccata multiplicata? fieri ne poſſit, ut ampliùs audeam facere malum tam grande, quando hujus ſpecies punitur per mortem Dei-hominis? malum tam grande, ſive brevi, ſive longior ſit vita mea, ampliùs non faciam; tu enim, Jeſu Crucifixe, quem de die in diem, & ſæpius intueor, factus es Magiſter optimus, ut noverim, quid ſit mortale peccatum: priùs dabo vitam, & ſanguinem, quàm audeam illud amplius committere.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXVI.

De Spiritu Sancto.

1. Confiteor, & adoro in ſacroſancta, & individua Trinitate Deum, Patrem, unigenitum Dei filium, & te Spiritum Sanctum, qui, quamvis cum utroque ſis unus, idemque Deus; ſolus tamen *Spiritus Sanctus* vocaris; Pater eſt Spiritus, cum Deus ſit Spiritus: filius pariter eſt Spiritus, & uterque eſt infinitè Sanctus: quia

quin & unuſquiſque eſt ipſamet Sanctitas; attamen nec Pater, nec filius *Spiritus Sanctus* vocatur; Pater enim eſt ingenitus: filius eſt unigenitus: apud te, ò Sancte Spiritus neutrum contingit, quia tu ab utroque per eandem voluntatem, utpote unum principium tamquam impulſus, ſeu infinitus Amor procedis.

2. Tu Sancte Spiritus es quidem in Sacroſancta Trinitate Perſona tertia, attamen non es poſterior, aut junior, vel minor Patre, & filio, quia cum utroque es unus, idemque Deus: & quia tu non generaris, nec generas, nec intra SS. Trinitatem ulteriùs diligis, ſed procedis à Patre, & filio, hinc perſonaliter ab utroque es perfectè diſtinctus; eſt autem in te eandem penitus eſſentia, cum eadem in creaturarum perfectionum plenitudine.

3. Æternus enimPater videns ſuam eſſentiam, ſuam infinitam pulchritudinem, bonitatem? loquitur Verbum, & ſibi conſubſtantialem filium generat, huncque infinitè diligit. Filius in ſe videns eandem eſſentiam, pulchritudinem, bonitatem? infinitè diligit Patrem.

trem. Iſte autem Amor non eſt accidentalis, qui haberet initium, & finem, ſed eſſentialis, & æternus: & propterea Deus eſt; & es tu Sancte Spiritus.

4. Et quamquam Pater ſit Deus, ac filius ſit Deus, Pater tamen non eſt filius, neque filius eſt Pater, quia iſte non generatur, ſed generat, ille autem non generat, ſed generatur: ſimiliter tu Sanctus Spiritus, licèt ſis idem Deus cum Patre, & filio, non tamen es filius, neque Pater, ſed procedis ab utroque; quia es utriuſque eſſentialis, æternus, & infinitus Amor: atque ideo ab utroque perſonaliter diſtingueris, es tamen cum utroque unus, idemque Deus.

5. Unus, ò Sancte Spiritus, es Deus cum æterno Patre, & unigenito Dei filio: neutro igitur es minor, aut poſterior; in te enim agnoſco, & adoro eandem eſſentiam, eaſdem perfectiones increatas: quidquid habet Pater, habet filius: & quidquid in utroque eſt, tu Spiritus Sanctus poſſides; nullibi plus, nullibi minus eſt reperibile, aut excogitabile, quia tres perſonæ San-

Sanctiſſimæ non ſunt, niſi unus, idemque Deus. O infinite, eſſentialis, & ęterne Amor Patris, & filii, accende cor meum frigidum, ut diligam te, *prout es*, dum ſub obſcuro fidei lumine ambulans non cognoſco te, *qualis es*.

Ave Maria

SOLILOQUIUM XXVII.

6. EAndem, ò Sancte Spiritus, ab æterno Deitatem habes cum filio, non tamen es filius; hunc enim æternus Pater per intellectum generat, dum nempe ab æterno videns ſuam eſſentiam, & in hac infinitas perfectiones increatas, Verbum loquitur, Deum nempe verum de Deo vero, in quo proinde ſimiliter eſt eadem eſſentia cum iiſdem perfectionibus; tu autem, Spiritus Sancte, non generaris per intellectum Patris, ſed procedis ex voluntate Patris, & filii tamquam impulſus, ſeu per neceſſitatem, ſed infinitè beatam, ſpiraris; atque ideo, quamvis eandem cum filio habeas eſſentiam, non tamen es filius, ſed Spiritus Sanctus.

7. Quidquid in te conſidero, meum imbecillem intellectum rapit in admirationem, voluntatem autem movet ad adorationem profundiſſimam; tu cum Deo Patre, & filio unus es Deus: æternus Pater per intellectum generat conſubſtantialem ſibi filium: ab utroque tu Spiritus Sanctus procedis: &, cùm tamen & tu ſis æternus Deus, non generas filium, neque à te procedit alius Spiritus, quia nempe tu jam es æternalis, eſſentialis & infinitus Amor Patris, & filii: implicat igitur, ut talis Amor poſſit intra Deitatem ſe ulteriùs extendere.

8. Dixi, quod tu Sanctus Spiritus non poſſis ulteriùs, vel ampliùs diligere intra Deitatem, quia eſt impoſſibile, ut alia perſona à te generetur, aut procedat; tota quippe Deitatis, & Trinitatis eſſentia in tribus perſonis conſiſtit: hæc igitur eſt mea de te Sancto Spiritu fides, & confeſſio; agnoſco autem, quod, dum intra Deitatem nihil agis, ſeu nec generaris, nec generas tua virtus divina ſe ad extrà poſſit extendere, nimirum uſque ad nos miſeros homines; in Deitate enim non gene-

generas filium . per amorem verò , qui diffuſus eſt in cordibus noſtris , dum diligimus , generas , & conſtituis nos adoptivos Dei filios , ut propterea fiducialiter , & in veritate poſſimus dicere , *Pater noſter , qui es in Cœlis , ſanctificetur nomen tuum .*

9. Quotidie , & ſæpius per dies ſingulos dico , *Pater noſter , qui es in Cœlis : ſanctificetur nomen tuum &c.* & ità orans novi , quod Pater æternus , dum Verbum loquitur,ſeu generat conſubſtantialem ſibi filium , ſuam eſſentiam , ſuam infinitam pulchritudinem , bonitatem &c. videat : hoc pariter novi , quòd videns id totum in filio , hunc infinito proſequatur amore ; & ſimiliter filius id totum videns inPatre,hunc infinitè redamet : & rectè Amor iſte æternus , infinitus , & eſſentialis es tu Spiritus Sanctus , qui ab utroque procedit . Quid nunc cogito ? dico per dies ſingulos *Pater noſter , qui es in Cœlis* : an ipſe & in me videt quidpiam amore dignum ? ſubſtantia enim mea eſt tamquam nihilum in conſpectu ſuo ; deinde an in me videt bonitatem , pulchritudinem &c. ? heu me ! videt pec-

catorum maculas, duritiem cordis, & voluntatis malitiam: & tamen audeo dicere per ſingulos dies ſæpius, *Pater noſter, qui es in Cœlis?* dicam igitur, ſaltem impoſterum de peccatis seriò pœnitens, & bonam voluntatem aſſumens ad rite ſervandum mandata ejus non gravia.

10. Infinita eſt bonitas, dum mihi conceditur dicere, *Pater noſter, qui es in Cœlis*: novi enim, & fateor, quòd ipſe in me tamquam filio non videat quidpiam amore dignum: ſed tamen, dum per tuam gratiam, ò Amor Patris, & filii, ò Sancte Spiritus! in filium Dei aſſumor, non nunquam, bonum, imò optimum in me invenio: parce, dum loquor ità fiducialiter: tunc enim novi, in me eſſe quidpiam, quod eſt bonum, imò optimum, quando mihi, quantumvis indigniſſimo, conceditur, ut poſſim pretioſiſſimum, corpus, & ſanguinem Redemptoris mei, Jeſu Chriſti, in cor ſuſcipere: rectè igitur tunc dicam Patri noſtro, qui in Cœlis eſt, *reſpice, non meum nihilum, ſed tuum unigenitum filium, in quo infinitam habes complacentiam: nunc eſt totus*

tus in me, & ego totus in ſe, quia ipſe dixit, qui manducat meam carnem in me manet, & ego in illo *nunc igitur*, *Pater noſter, qui in Cœlis es, dignare me propter tuum, & unigenitum filium diligere:*

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXVIII.

11. CUM laterem in abyſſo nihili, de hoc Pater Cœleſtis me extrà dixit, & ad ſuam fecit imaginem: quando poſt acceptam tam nobilem ſubſtantiam propter peccatum perii, & factus ſum reus mortis æternæ, unigenitus Dei filius naturam humanam aſſumpſit, meam iniquitatem portavit, & pro hac delenda fudit ſuum pretioſiſſimum ſanguinem, quin & poſuit animam: hæc tamen tam magno pretio facta redemptio mihi non potuiſſet ad ſalutem proficere, niſi tu, ò Sancte Spiritus, me per ſanctificantem gratiam feciſſes ejuſdem redemptionis participem, & acceptaſſes in filiorum Dei numerum. Ah! quanta debeo Deo Patri omnipotenti, quanta unigenito Dei fi-

lio, quanta tibi Sancto Spiritui! Et tamen pro tot, tantiſque beneficiis rarò debitas ago gratias: confiteor meam ingratitudinem, ſed ſuper hac dolens. meliora promitto.

12. Tu Sanctus Spiritus non intras in animam malevolam, neque in corpore peccatis ſubdito habitas, diligis autem cor contritum, & humiliatum, cor mundum, & pacificum: atque in iſto velut in templo tuo dignaris manſionem facere, idque replere Spiritu ſapientiæ, & intellectûs, Spiritu conſilii, & fortitudinis, Spiritu ſcientiæ, & pietatis, & Spiritu timoris Domini. Ah! igitur veni Sancte Spiritus, habita in corde meo, & anima mea: reple hanc, & illud donis tuis, & gratiis; ſinè his enim ſum miſer, & pauper, quamvis haberem univerſi mundi Dominum: cum illis ſum ditiſſimus, etiam ſi nihil de mundi ſubſtantia poſſideam.

13. Veni Sancte Spiritus, & habita in corde meo; ubi tu es, ibi regnat libertas, contra omnes inordinatos naturæ corruptæ affectus, falſaque mundi principia: poſſunt quidem ſenſus ſe movere. ſed te præſente contra ratio-

nem,

rem, & dictamen fidei prævalere non poſſunt. Scio, quod diabolus tanquam leo rugiens circumeat, quærens, quem devoret: ſcio pariter, & experior, quòd mundus adſit cum ſuis vanitatibus, & fallaciis; dum autem tu, ò Sancte Spiritus! regnas in anima, cuncta hujus hoſtium tentamina debent evaneſcere, quin & cedunt ad majus meritum: tentari enim malum non eſt, dum autem tentatio vincitur, tantò major eſt merces, & gloria, quò nequiores ſunt, qui tentant. Veni igitur Sancte Spiritus! ubi tu es, ibi anima perfecta libertate fruitur, quia non operatur tamquam mancipium ex metu pœnæ, neque more mercenarii unicè propter mercedem, ſed ex puriſſimo amore erga Deum.

14. Veni Sancte Spiritus in animam meam, prout in forma ignitarum linguarum apparuiſti Apoſtolis, qui propterea variis linguis loquebantur Magnalia Domini. Taliter veni, & habita in corde meo, & in lingua, ut melius cum Deo, & de Deo loqui noverim. Reponis autem, quòd non venias, & in corde meo, ac anima mea non ha-

bites, niſi repellam Spiritum tibi contradicentem, nempe Spiritum hujus ſæculi, qui non ſapit Cœleſtia, ſed inania, & tranſitoria. Ut igitur hunc Spiritum tibi contradicentem repellam, en paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

15. Veni Sancte Spiritus, qui intra Deitatem non potes ulteriùs diligere, cum ſis æternus, infinitus, & eſſentialis Amor Patris, ac filii: & rectè ideo uterque infinitam habet gloriam, dum Pater infinitè diligit filium, & ſimiliter iſte Patrem, Veni igitur Sancte Spiritus, qui per dilectionem potes te ad extrà ad animam meam extendere, nempe per gratiam ſanctificantem; hanc cupio, quia iſtam æſtimo ſuper univerſi mundi pretium: &, ſi mille, ac plures mundi exiſſerent, id ipſum dicerem; ſi enim in gratia ſanctificante finaliter perſeveravero, poſſeſſio regni cœleſtis, immenſi, & æterni mihi eſt certiſſima: at verò, ſi eſſem hujus mundi, aut etiam plurium Dominus, ſinè gratia ſanctificante quid mihi prodeſſet hæc talis, & tanta poſſeſſio? poſt modicum temporis actum de me eſſet, & in æternum per-

perditus eſſem, & in æternum, miſer eſſem, & in æternum.

16. Atque ideo heu quanta apud nos mortales eſt cæcitas? pro temporalibus divitiis, pro momentaneis honoribus, pro vanitatibus &c. omnem impendimus induſtriam, nullus labor eſt nimius: parum autem anguſtiamur pro gratia ſanctificante, finè qua tamen cætera omnia ſunt velut nihilum. Patimur damnum in temporalibus, quæcumque hæc ſit, & vix ſcimus, aut volumus, lamentis modum ponere: perdimus ſanctificantem gratiam, & ſecurè quieſcimus, non recogitantes, quanto bono ſimus privati. Sancte Spiritus illumina noſtram cæcitatem, ut pote lacrymis digniſſimam, ut ſtudeamus melius hanc veritatem cognoſcere, quòd nempe minimus gratiæ ſanctificantis gradus ſit æſtimabilior præ cunctis naturæ bonis, quin & præ univerſo orbe terrarum.

17. Veni Sancte Spiritus, fons vivus, ignis, charitas, & accende cor meum igne divini amoris: quàm certò ignis non dicit, *ſufficit*, tam certò non dicet anima mea, *ſatis in amore profeci*

implicat enim, in ſe habere Amorem, & non magìs, ac magìs diligere. Veni lux beatiſſima, dulcis hoſpes animæ, & amabo Deum meum, ac Dominum meum per illum ipſum Amorem, quò Pater diligit filium, & filius Patrem, per te nempe, ò Sancte Spiritus: & magis Deum, qui es ipſemet, utpote unus, & idem Deus cum Deo Patre, vel unigenito Dei filio, non poſſum diligere.

Ave Maria.

SOLILOQUIUM XXIX.

De Divino Intellectu.

1. DOmine Deus, Pater omnipotens, quantam virtutem habet tui intellectùs operatio, dum cognoſcis tuam infinitam bonitatem, ſanctitatem, pulchritudinem, juſtitiam, miſericordiam, verbo, tuam eſſentiam cum contentis in iſta infinitis perfectionibus? & dum ità cognoſcis, loqueris Verbum, non accidentale, ſed ſubſtantiale, non tranſiens, ſed æternaliter permanens: & eſt tuus unigenitus, tibi conſubſtantialis, & cœternus filius, Deus de Deo, lumen de lumine, genitus, non factus.

2. Hæc

2. Hæc eſt tui divini intellectùs perfectio; quanta autem in meo intellectu datur infirmitas? quidquid enim ego cogitem, perinde meum cogitatum non eſt ſubſtantia: concipio ideam auri, & mea cogitatio non fit aurum: cogito de homine, perinde ità cogitans non genero hominem in ſimilitudinem meæ ſubſtantiæ: dixi igitur, quidquid in meo intellectu concipiam, perinde mea cogitatio non fit res, quam in mente concepi, habeo enim cogitationem tranſeuntem, & accidentalem rei cogitatæ ſpeciem mihi præſentantem; apud te autem, Pater æterne, intellectùs cognitio, vel operatio eſt ſubſtantia, eſt lumen de lumine, eſt Deus de Deo.

3. Tuus intellectus eſt infinita virtus, & tua cogitatio eſt ſubſtantia, conſequenter Deus ipſe, quia nulla ſubſtantia ab æterno eſſe poteſt, quæ Deus non eſt. O ineffabile, & incomprehenſibile myſterium! hoc ſi ſæpius mente revolverem, quantum ad te æſtimandum, diligendum, & adorandum accenderem? & ex parte mea quam longè aliter me humiliarem in conſpectu

tuo, utpote videns, me tum in eſſendo, tum in intellactualiter operando à te in infinitum diſtare?

4. O Altiſſime, Deus immenſæ Majeſtatis, infinitæ virtutis, & pulchritudinis! meus intellectus in ſummam admirationem rapitur, dum manuum tuarum opera Cœlum nempe, & terram intueor; minor ampliùs, conſiderans, quòd hoc univerſum in virtute unius Verbi, & in momento temporis eduxeris de nihilo: ſed mea admiratio intenditur, dum mentem meam dirigo ad poſſibilia; per idem quippe Verbum, quò hunc mundum creàſti, potes novum, imò mille mundos condere, & in iſtis talem ſervare ordinem, ut unus alterum ſucceſſivè, tum in magnitudine, tum in creaturarum multitudine, taliter ſuperet, qualiter actu conditus eſt eminentior reſpectu unius regni, vel provinciæ.

5. Hæc Domine Deus, eſt tua omnipotentia: ſed ego non poſſum per imaginationem meum intellectum eò extendere, ut ad terminum tuæ omnipotentiæ perveniam; ſi centies mille mundos creaveris, apud te plures adhuc

huc poſſibiles remanent; dum autem conſidero virtutem, vel potentiam tui intellectûs ad intrà, video, decies centena millia mundorum, ſi exiſterent, eſſe velut nihilum reſpectu Verbi, quod ab æterno loqueris; omnes enim illi mundi eſſent de nihilo; Verbum autem eſt de tua ſubſtantia, eſt Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero.

6. Jam mundum actualiter factum contemplans in admirationem rapior: mirarer amplius, ſi noſſem, quòd alios centum, aut mille mundos de nihilo feceris; & nunc ſciens infinitam intellectûs tui potentiam ad intrà, dum Verbum loqueris, & conſubſtantialem tibi filium generas (quod eſt plus, quàm decies centena millia mundorum de nihilo condere) tam modicum in corde meo ſentio deſiderium, ut poſſem eandem potentiam tantò citius aſpicere: & cur ardens deſiderium pro hoc fine in corde meo non regnat? quia in iis occupor, quæ ſubſtant ſenſibus, & ſunt vana, ac tranſitoria, eorum autem, quæ credo, & expecto in vita venturi ſæculi, vivo immemor: quot perinde merita perdo?

Ave Maria

SOLILOQUIUM XXX.

7. Pater, Domine Cœli, & terræ! quam admirabilis, quàm incomprehenſibilis eſt intellectùs tui potentia? feciſti unum mundum, & in iſto ſæcula, & ſæcula pertranſeunt: apud te autem nihil tranſit, nihil advenit, quia præterita, & futura tamquam actu præſentia noſti: & ideo cogitationes, quas habuit Adam, apud te non ſunt præteritæ: nec futuræ ſunt, quas habebit mortalium ultimus: idem eſſet de mille mundis, ſi hos conderes, quis jam hominum, quis Angelorum capiat intellectùs tui potentiam?

8. Quis jam ego ſum in conſpectu tuo, ò Altiſſime! quid enim ſcio de omnibus, quæ per tot ſæcula contigerunt, quàm diu ſtat orbis terrarum? ea proinde, quæ ſcio, per reſpectum ad alia, quæ mihi non conſtant, ſunt velut atomus reſpectu hujus univerſi, vel quaſi aquæ gutta reſpectu maris, aut tamquam ſcintilla reſpectu ſolis: & tamen ego pulvis, & cinis mihi imaginari

præ-

præſumo, quaſi aliquid ſcirem? quin imò coram te debeo agnoſcere, quòd nihil ſciam; ſi enim me interrogares ſuper millibus, & millibus, quæ facta ſunt per unum duntaxat ſæculum, verbum mihi non occurreret, quò reſponſum tibi dare poſſem.

9. Quoad *præterita* ab origine mundi agnoſco, Domine, inter tuum, & meum intellectum infinitam eſſe diſtantiam: ſi *de futuris* cogitem, tanta ſcio, quanta viderem ſub denſa nocte, quamvis oculos haberem apertos; aliud enim non animadverterem, niſi tenebras. Quoad futura itaque, non ſcio quidquam, quæ fient in orbe terrarum, ſed neque quoad ea, quæ erunt circa meammet perſonam; in tuo autem divino intellectu cuncta futura jam actu exiſtunt, & magìs, quam anima mea inexiſtat corpori. Tibi proinde dies nativitatis meæ, curſus vitæ meæ, & hora tranſitùs mei ad interminabilem æternitatem magìs ſunt præſentia, quàm ego ſim mihi præſens, dum iſta loquor ad te Deum meum, & Dominum meum.

10. Quis ſum ego? & quis es tu?

à Al-

ò Altiſſime! iſtud enim fateri debeo, & fateor, meam ſcilicet ignorantiam eſſe multò majorem; quàm ſit ſcientia, ſive præterita, ſive præſentia, ſive futura, reſpiciam; præterita quaſi per umbram in intellectu habeo: de futuris nihil penitus, ut poſſem quid tamquam certum aſſerere: quoad præſentia novi, me multis infirmitatibus eſſe circumdatum: & ſi multa ſcirem, quæ fiunt in mundo, quid mihi prodeſſent hæc omnia, quàmdiu, prout oportet, non ſtudeo te Deum agnoſcere, & ex toto corde, ex tota anima mea diligere? unum denique novi, quòd tuum divinum intellectum conſiderans, aliquid ſciam, me nempe in conſpectu tuo eſſe per omnia tamquam nihilum: volo tamen coram hominibus apparere tamquam multa ſciens; ò ſuperba vanitas!

II. Tanta eſt tui divini intellectùs perfectio, ut omnia, quæ ſunt in Cœlis, in terris, & apud inferos, unico actu cognoſcas, & meliùs, quàm ego noverim, me eſſe hominem: & quod loquor de uno mundo, confiterer de millenis, & millenis, ſi conderes. Cœlum inter, & terram magna eſt diſtan-

tia;

tia, novi tamen infinitam non eſſe; hanc autem invenio, dum tuum divinum intellectum contemplor: tu Deus cognoſcis omnia ſimul, & per unicum actum: ego de ſupernaturalibus ex meipſo nihil penitus novi; quoad naturalia, quot cogitationes debeo concipere, donec in cognitionem hujus, vel alterius rei perveniam? ſuperbit tamen pulvis, & cinis, quando ſcit quidpiam de naturalibus, quorum notitiam habent & dæmones: ò ſordida vanitas! ò vana ſuperbia!

Ave Maria

SOLILOQUIUM XXXI.

12. TU Deus Altiſſimus poſſides quidem intellectum infinitè perfectum, attamen per totam æternitatem non niſi unam cogitationem concipis; eſt autem hæc cogitatio perpetua, ſemper operans, non habens initium, neque finem: tuum divinum intellectum plenè exhaurit, ità ut iſte plures cogitationes non poſſit concipere, manet tamen inexhauſtus, quia non eſt poſſibile inſtans, quò ab eadem cogitatio-

ne

ne deſiſteret. Et hoc eſt denuo myſterium, omnem intellectum humanum, & angelicum tranſgrediens, ex quo debeo ampliùs meam in conſpectu tuo nihileitatem agnoſcere.

13. Quantam, mi Deus, inter tuum mecumquæ imbecillem intellectum differentiam video? tu pro tota æternitate habes cogitationem duntaxat unicam, quæ, utpote mentis tuæ Verbum eſt ſubſtantia: ego pro paucis vitæ meæ diebus foveo cogitationes innumeras, ſuper quibus objectis? inutilibus, nugatoriis, & evaneſcentibus: quin imò ejuſmodi cogitationes quàm plurimas per ſingulos dics admitto: quò enim ſenſus collimant, eò cogitationes ſequuntur: & hoc eſt contrarium agere, quia cogitationes non deberet inniti impulſui ſenſuum, ſed multò magìs hos oportet dependere à cogitationibus; nempe ſalutiferis: iſtæ autem dependent ab anima, quæ ſicut ad tuam facta eſt imaginem, ſic deberet ſe continuò ad te Deum, primum principium, ultimum finem, & ſummum, unicùmque bonum convertere: ità proinde vivens ac operans haberem & ego primitus,

& ante omnia cogitationem non niſi unicam, nempe de te, Deo meo, & Domino meo.

14. Subinde piam cogitationem de tua divina Majeſtate concipio, ſed non ferventer, non efficaciter, non cum ſerio Spiritu; evaneſcit enim, prout venit in mentem. Super inutilibus, vaniſque hujus mundi rebus cogitando poſſum me detinere per horas, & horas, neque ſentio tædium, quando autem tui, ò Deus, deberem non nihil diutius eſſe memor, natura corrupta ſe movet, & excitat quaſi nauſeam. Heu me! quid ago? intermitto illud, in quo deberem me inceſſanter exercere, & cum gaudio, quia ad tuum honorem, & animæ meæ ſalutem: occupor autem in meis cogitationibus circa ea, quorum notitia nullam utilitatem affert, plurimùm vero præjudicat Spiritui. O Domine, quanta inter te, & me eſt differentia? quàmdiu relinquar in hac dura captivitate mei intellectùs, qui ſe in quaſcunque alias inutiles vanaſque cogitationes effundit cum gaudio, & dum de te primitus, & unicè cogitare deberet, in hoc ſentit vel ſibi fingit tædium?

15. Æter-

15. Æterne Deus! agnoſco, quòd ſicut in eſſentia à te in infinitum elongor, ſic in operationibus intellectûs infinitè à te diſtem; tu pro tota æternitate foves cogitationem unicam, quæ non habet initium, aut finem; ego novi ex fidei lumine, me eſſe creatum, ut in æternum vivam ſub cogitatione unica, quam intuitiva viſio parit, ac continuat: & nunc in vita mortali, quæ deberet eſſe magiſtra æternitatis, millenas cogitationes inutiles, vanas (& quot per ſingulos dies?) admitto; atque ſic hactenus feci illud, quod nullo modo debuiſſem agere, & intermiſi aliud, cui primò, & unice debuiſſem eſſe intentus: ſed non ità impoſterum; *dixi nunc cæpi*.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXXII.

De Divina Voluntate.

1. AGnoſco, & adoro in te Deo meo intellectum, omnia comprehendetem, cujus objectum eſt tua eſſentia ſub ratione ſolius, & æternæ veritatis: agnoſco ſimiliter, & adoro in te

in te voluntatem, quæ pro objecto reſpicit omne divinum, eſtque iterum tua eſſentia ſub ratione ſolius, & æternæ bonitatis. Tua voluntas diligit neceſſariò, & liberè, eſt tamen eadem voluntas ipſiſſima: neceſſariò quippe diligis temetipſum, & quidquid in te eſt; ità autem diligis, ut non ſit poſſibile inſtans, quò à dilectione poſſes deſiſtere.

2. Liberè diligis manuum tuarum opera; quid enim eſt diligere, niſi velle, ac facere bonum; tu autem factor omnium creaturis tuis bonum voluiſti, & feciſti, dum eas extraxiſti de nihilo, & unicuique ſuam dediſti eſſentiam. Tu diligis ea, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, quia operatus es omnia ex infinitæ bonitatis impulſu. Liberè igitur, & neceſſariò diligis: & hoc ipſum eſt denuo myſterium, quod intellectum humanum, & angelicum tranſgreditur; quia nemo poteſt ſufficienter capere, ac exponere, in quo liber iſte, & neceſſarius amor conſiſtat, ubi tamen non eſt, niſi una voluntas, quæ Deum ex ſumma, & nec ad momentum diſpenſabili neceſſitate diligit, creaturas autem liberè.

3. Quia

Digitized by Google

3. Quia tu Altiſſimus humilia in Cœlo, & in terra reſpicis, hinc tamen in ſimplicitate mea loquor verbum, ut aliqualiter intelligam, quomodo voluntas tua, ſemper eadem, neceſſariò & liberè diligat. Deum quippe diligit per indiſpenſabilem neceſſitatem, quia Deus cum omnibus iis, quæ in ſe continet, eſt eſſentialis bonitas, quæ non omni momento non poteſt diligi: at verò creaturæ, quia ſunt extra Deum non habent eſſentialem, ſed accidentalem, & participatam bonitatem, quæ non poteſt ad amorem compellere, & rectè ideo, quia eſt bonitas, quæ contingenter exiſtit, conſequenter non eſſe poterat: hæc modò in humilitate mea dixi: myſterium igitur capiam, cùm apparuerit gloria tua.

4. Iſtud tamen jam nunc ſcio, quòd tu Deus me ab æterno dilexeris, & quidem per eandem voluntatem, quæ diligis temetipſum. Feciſti omnia, quæcunque voluiſti, idque ex infinitæ bonitatis impulſu: paucos ante annos calebam in abyſſo nihili, & de hoc voluiſti me extrahere, mihi dans eſſe non commune cum vita, aut rationis uſu

deſti-

deſtitutis animantibus; ſed me ad tuam faejens imaginem; hoc autem tuæ eternaliter diligenti voluntati nondum erat ſufficiens, quia me ordinàſti ad finem ſublimiſſimum,& perpetuum, nempe ut pro paucis vitæ diebus hic ambulans per lumen fidei te cognoſcerem, & diligerem, in æternitate autem facie ad faciem te intuens, & perfectiſſimè diligens, fuerer ipſamet beatitudine, quam ab æterno in æternum tu Deus unus, & trinus poſſides.

5. Peccando ab ultimo fine receſſi, & tu Deus, cujus bonitatis non eſt numerus & miſericordiæ infi nitus eſt theſaurus, atque ideo in charitate perpetua diligis, pro me ordinas tale medium, de quo intellectus creatus non cogitàſſet, & voluntas creata non fuiſſet auſa pro eo petere. Perditus ego eram, & in æternum; voluntas autem tua fuit in eo, ut una ex divinis perſonis naturam humanam aſſumeret, & in iſta ſolveret culpam mei peccati, idque non per viam breviſſimam, aut unum, alterumve actum, ſed poſt paſſionem amariſſimam, poſt fuſum pretioſiſſimum ſanguinem, poſt ignimio-
ſiſſi-

ſiſſimam mortem crucis. Sic ſecundùm propoſitum tuæ voluntatis dilexiſti me: & quid ex parte mei te impulit, ut me ità diligeres? nullam in me inveniſti dilectionis cauſam, omnia autem propter tuammet voluntatem feciſti.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXXIII.

6. IN ſacroſancta, & individua Trinitate tres adoro perſonas, Patrem, filium, & Spiritum Sanctum: quod vult æternus Pater, idipſum vult unigenitus Dei filius: quod vult uterque, vult Spiritus; tres ſunt, unum tamen eſſe, unum cognoſcere, unum velle, quia nempe una, eademque ubique eſt eſſentia: & quod tres volunt ſemper eſt optimum. Magne Deus, quò in orbe terrarum deberem pergere, ut tres invenirem perſonas, quæ per omnia, abſque ulla animi diſſenſione, & non niſi ad bonum unam voluntatem haberent? ſi circuirem omnes quatuor mundi partes, non reperirem tale myſterium; dum enim peregrinamur à facie tua, continuò mutabilitati ſubjicimur.

7. Sed

7. Sed pro invenienda hac voluntatis unitate inter plures perſonas nullò modò neceſſum eſt, ut pergam ad ultimos orbis terrarum fines, quia quod quæro, in propinquò invenire poſſum; ſufficit enim te, Deum, & Dominum quærere: & te invenio, quamvìs de loco, ubi ſum, me non moveam; tu namqne, ſicut ubique es preſentiſſimus ſic in medio cordis mei habitare dignaris. Jam ſi ego voluntatem meam cum tua unio, nihil aliud intendes, niſi tuam voluntatem in omnibus facere, ſecundùm omnem veritatem dicere poſſum, *quod vult Deus, hoc & ego volo*:& *quod ego volo, hoc vult Deus*. Tu autem es unus in eſſentia, & trinus in perſonis: igitur mea voluntas cum voluntate trium divinarum perſonarum conjungitur:ſi ità, ò quantùm extollitur mea voluntas! ſi enim quiſpiam Monarcha hujus ſæculi meam voluntatem faceret, quid de me ſentirent homines? nunc ſi ego voluntatem tuam facio, tu dignaris meam voluntatem facere: tu es unus in eſſentia, & trinus in perſonis, tu es univerſorum Dominus: & ego ſum pulvis, ac cinis; quanta jam foret mea cecitas,

ſi deinceps voluntatem tuam non facerem?

8. Dicebat Redemptor meus amantiſſimus, *ecce hæc eſt mater mea, & hi ſunt fratres mei; omnis enim, qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe frater, & ſoror, & mater eſt.* Redemptor meus in divinitate non habet fratrem, ſororem, aut matrem: & tamen, dum ego facio voluntatem Dei Patris, ſeu dum mea voluntas eſt unum cum ſua Redemptor meus dignatur me tamquam fratrem, ſororem aut matrem agnoſcere, atque hoc, niſi dixiſſet æterna, & incarnata veritas, non crederem puro homini, non Angelo, ſi alteruter id mihi diceret; nunc autem de dicto ſum certiſſimus: ò quanta igitur eſt felicitas hominis, qui voluntatem ſuam cum voluntate divina conjungit, & feriò ſtudet hanc in omnibus facere!

9. Quàm felicem ſe æſtimaret filius hujus ſæculi, utpote coram iſto in honoribus eſſe cupiens, quando ſibi diceretur, ad hunc finem nihil aliud eſſe neceſſarium, niſi ut ſuam voluntatem penitus uniat cum voluntate cujuſdam terreni Mo-

Monarchæ, & perinde faciat omnia, quæ noverit eſſe ad hujus placitum: ex quo habebitur, honorabitur, & diligetur tamquam ejuſdem Monarchæ filius, & regni hæres in hoc, inquam, caſu quàm felicem ſe æſtimaret talis homo? diceret enim, ſi haberem mille voluntates, has omnes darem Monarchæ, qui me ad tantos honores ſuſciperet. Æterne Deus! quid nunc cogito, utpote conſiderans, in mea libertate eſſe poſitum, ut negotio longè facillimò poſſim fieri, haberi, & diligi, tamquam frater principis, non terreni, mortique ſubjecti Monarchæ, ſed filii tui unigeniti, dummodo tuam voluntatem in ordine ſervandum mandata non gravia faciam? fixum igitur eſt, Pater, Domine Cœli, & terræ, voluntatem meam humanam tibi penitus trado, & accepto tuam divinam voluntatem, atque ſic imposterum nos inter non erit, niſi una voluntas.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXXIV.

10. REdemptor meus amantiſſimus venit in hunc mundum, non ut ſuam, ſed tuam, Pater, qui Cœlis

es, voluntatem faceret; tu ordinaſti, ut naſceretur in paupertate, quin & iſtam teneret pro cunctis diebus ſuper terram: & ita pariter ipſe voluit. Tu præparaſti amariſſimæ paſſionis calicem: & hunc acceptavit, propoſito ſibi gaudio, inquiens *Pater, non mea, ſed tua voluntas fiat*. Tu decreviſti, ut turpiſſimam, & doloroſiſſimam mortem in cruce, & in medio duorum ſceleratorum ſubiret: & taliter mortuus eſt, quia ſimiliter ità voluit mori, poſtquam de ſe conſummata eſſent omnia. Hæc ego, non innocens, non ſanctus, ſed peccator credidi, & actu credo: an igitur audebo deinceps meam voluntatem vel in minimo facere? dixi, Pater noſter, qui in Cœlis es, mea voluntas eſt tua: quod tu diſponis, vel permittis, hoc facio, vel de voluntate tua accepto, quia novi, voluntatem tuam non eſſe, niſi ad finem optimum.

11. Quid glorioſiſſimos de utroque ſexu, omni conditione, ac ætate profeſſores fidei, quam plantavit, & conſummavit mundi Redemptor, animavit, & confortavit ad ſubeundum tormenta quæcumque crudeliſſima? nihil

hil aliud, niſi voluntas tua, o Pater, qui in Cœlis es; recordabantur enim, quod omnia te ordinante, vel permittente contingant: & ideo vincula, & carceres, fames, & ſitis, frigus, & æſtus, ignis, & gladius erant illis ſecundùm ſpiritum dulcia, continuò nempe habentibus ante mentis oculos, ſic tibi eſſe placitum, ut patiantur pro momento temporis, quatenus æternæ hæreditatis fiant participes.

12. Sit igitur, Deus meus, & Dominus meus, tibi eſſe placitum, ut me, qui iniquitatem meam cognoſco, & defleo, per viam tribulationum viſites; ſufficit mihi, dummodo mente ſeria recogitem, tibi rectè ſic eſſe placitum, me verò rectè ſic amari à te, qui mortificas, & vivificas: ſed & mortificando neminem nimiùm tribulari permittis.

13. Tu Pater, qui in Cœlis es, noſti, quid patior: tu omni momento potes de adverſitatibus me eruere; ſi non facis, exinde eſt, quia tibi complaces, videre me in tribulatione poſitum, quemadmodum tibi complacuiſti, quando tuum unigenitum filium, Redemptorem noſtrum clementiſſimum

conſpiciebas pendentem in cruce, & immenſis oppreſſum doloribus. Si igitur & ego, qui omnia in via paſſionis millies promeritus ſum, poſſum tibi rectè hoc modo gaudium facere, quid mihi deberet eſſe major conſolatio, quàm recordari, quòd adverſa patiendo, non inter mundi gaudia exultando, tibi placeam? ſit ergo, taliter: in me ſanctificetur nomen tuum: fiat voluntas tua.

14. O quantum in corde meo ſentio gaudium, etiam medius inter tribulationes hujus mundi, quàm primùm recogito, quod ità tua, Pater, Domine Cœli, & terræ, voluntas poſtulet! natura corrupta quidem ſentit paſſionem, & horet, vultque rationem pervertere, ut perturber in animo, & linguam ſolvam in lamenta, & murmura; quando autem recordor, quòd tu Deus mecum rectè inter tribulationes conſtituto eſſe digneris, hoc ipſum conſolationem in anima parit maximam.

15. Dixi, Domine, natura corrupta ſentit paſſionem, & horret, etiam dum recogito, eſſe tuam voluntatem, ut patiar; ſed pro ſuperandis adverſitati-

tatibus quanta mihi paraſti media? & hæc ſunt promiſſiones à te factæ, & infallibiles; dixiſti enim, *cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum*. Annuntiari etiam feciſti per prophetas, & Apoſtolos: *qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent*: & *quòd hoc leve, ac momentaneum æternum gloriæ pondus operetur in nobis*: inſuper, quòd nos omnes, qui cum unigenito filio tuo, & Redemptore noſtro Clementiſſimo in regno Cœleſti triumphare deſideramus; per multas tribulationes in illud intrare oporteat.

16. Sit ergo, quòd voluntas tua paſſionem in quocumque demum genere à me exigat, mihi erit conſolatio ſufficiens, dummodò ſeriò recogitem, quòd coram tuo tribunali o ſupreme, & juſtiſſime Judex, nihil mihi prodeſſet, ſi poſſem omnes mundi honores vel proſperitates adducere, erit autem mihi bonum, imò optimum, ſi compaream cum tribulationibus, quas tua voluntas mihi impoſuit, & ego pertuli. Fac igitur, Domine, ut patiar, quia tu ità vis, non quia ego volo; voluntas enim mea deinceps tua eſt: atque

hinc non petam, ut tribulationes mihi immittas, vel ut vitam meam in hac lacrymarum Valle abbrevies, quatenus tantò citius tecum eſſe, & lætari valeam; petam autem, ut fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra: tu Dominus es, qui omnia ſecundùm infinitam ſapientiam, juſtitiam, & bonitatem, diſponis ac ordinas.

Ave Maria

SOLILOQUIUM XXXV.

De cognitione Dei.

1. OMnipotens, ſempiterne Deus, quàm incomprehenſibilis eſt tua ſapientia, ſecundùm quam cuncta feciſti, quæcunque facta ſunt. Unaquæque creatura ex vi creationis tendit ad finem, ad quem eſt condita; atque ideo extra finem, vel centrum conſtituta violentiam patitur: ignis creatus eſt, ut ardendo, & calefaciendo tendat ad ſurſum: oculus creatus eſt, ut videat, auris, ut audiat: & hæ creaturæ (penes innumeras hujuſmodi) propter virtutem à te Deo Creatore ſibi inditam in

in ſtatu violento verſantur, niſi poſſint exercere actus ſibi proprios.

2. Hominem, quem tu omnium Conditor, ad imaginem tuam feciſti, locupletaſti tribus, nobiliſſimiſque potentiis, intellectus nempe, voluntatis, & memoriæ: intellectus autem, cujus objectum eſt ſola veritas, non tranquillatur, ſeu objecto ſibi proprio non fruitur, niſi veritatem agnoſcat: & hanc ad plenam ſatietatem nullibi invenire poteſt, niſi in te Deo altiſsimo; tu enim es *via, veritas, & vita*. Securè, & feliciter peregrinabor, ſi per hanc *viam* ambulem: per omnia ero contentus, ſi hanc *veritatem* cognoſcam: perfectè ſatiabor, quando hujus *vitæ* vivam particeps.

3. O Deus! o pulchritudo æterna! o infinita bonitas! agnoſco per lumen fidei, quòd tu à contemplatione tuæ æternæ pulchritudinis, & ab amore tuæ infinitæ bonitatis, nec ad inſtans, poſsis deſiſtere. Per idem lumen agnoſco & iſtud, qualiter nempe ſinguli comprehenſores in contemplanda tua æterna pulchritudine, & dilectione tuę infinitæ bonitatis inceſſanter perſiſtant,

ità ut non ſinant abire momentum, quo per intellectum, & voluntatem utrique objecto non eſſent affixi. Quantùm igitur ego doleo ſuper diebus, horis, quin & momentis, quibus potuiſſem te, ò pulchritudo æterna ò infinita bonitas! cognoſcere, ac diligere, & non feci?

4. Summa, infinitaque tuæ, o Deus: vitæ felicitas conſiſtit in eo, quia intellectus tuus inceſſanter occupatur in contemplatione tuæ æternæ pulchritudinis: & in hoc ipſo conſiſtit beata vita ſpirituum Cœli, cunctorumque Incolarum civitatis ſupernæ, dum nempe ſingulorum intellectus viſioni, & contemplationi tuæ Deitatis inceſſanter impenditur. Quàm faciliter igitur & ego, quamquam adhuc in via peregrinans, & tendens ad Cœleſtem Patriam poſſem prælibare conſolationes ſupernas, ſi jam nunc inciperem agere, imò ſi inceſſanter agere illud, de quo mihi ſpes eſt certiſsima, fore, ut id ipſum agam in æternum, ſeu ſi per lumen fidei cognoſcerem, & contemplarer te, o prima, & æterna Veritas!

5. Quot ſunt, qui omnem impendunt induſtriam, ut ſcientias naturales

hau-

hauriant? & hi quidem non ſunt vituperatione, ſed laude digni ſi perinde ſtudeant ampliùs glorificare te Deum in manuum tuarum operibus: Quot ſnnt, qui ardenter cupiunt ſcire novitates, quæ in orbe terrarum de die in diem ſolent contingere? & ex hoc ſtudio quam pro anima ſua utilitatem reportent, neſcio. Quot ſunt pueri, & virgines: qui, & quæ ſub primis annis peregrinas linguas, aliaſque ſæculi vanitates addiſcunt, quamvis communiter magnos experiantur difficultates? vincunt tamen magne Deus! quantùm me confundunt hæc omnia, pro quibus frequenter non modicus labor requiritur? pro ſcientia Sanctorum, ſeu pro cognitione tui ardens deſiderium ſufficit: & iſtud dum nondum in corde meo habui, ſaltem impoſterum te noſſe ardenter ſtudebo.

6. Quid ſi poſsiderem omnium naturalium ſcientiam, an per iſtam meus intellectus, utpote illuminatus per ſidem, ſatiabitur, vel an reportabit conſolationem inſtinctui, à te Deo ſibi inſuſo, propriam? Neutrum eſt poſsibile; quemadmodum tu es prima, & uni-

ca Veritas, ac perinde perfectiſsimum mei intellectus objectum, ità tu, & ſolus, potes completam ipſi dare beatitudinem. Ero igitur fatis ſapiens, vel ſcientificus, ſi de mundò cæteroquin nihil ſciens, te, ò prima Veritas! ò pulchritudo æterna! in ſolitudine, & ſiletaio meliùs noſſe ſtuduerim.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXXVI.

7. SApientes hujus mundi ſe reputant felices, & ingens in ſuo intellectu habent ſolatium, quando, poſtquam per annos & annos ſederunt, ac ſudarunt, adepti ſunt rerum naturalium ſcientiam; perinde tamen non vident, ſe necdum eſſe beatos; ſola enim tui, ò Deus, cognitio poteſt omni meliori modo felicitare hominem, quamdiù in via, & per fidem ambulat.

8. Si de naturalibus agitur, quis mortalium ſimilem de illis habet notitiam, quam poſſident ipſimet rebelles Spiritus? de naturalibus enim nihil perdiderunt, quando propter peccatum ſuum horrendiſſimum de ſupernis

ad

ad ima fuerunt præcipitati ; interea cum omni ſua naturalium ſcientia miſerrimi in omnem ęternitatem permanent. Talem igitur æſtimationem meretur naturalium ſcientia, ſi hæc ad te Deum, & Dominum non tendat: *noſſe enim te, conſummata juſtitia eſt : & ſcire juſtitiam, & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis.*

9. Naturalium ſcientia non diſcitur ſine rumore, vel ſaltèm abſque quinque ſenſuum exercitio: aliter cum ſcientia Sanctorum res ſe habet ; tui enim, ò Deus, cognitio ut plurimùm apprehenditur, & exercetur, in ſilentio, & ſolitudine : ſedebit quippe ſolitarius, & tacebit ſurſum levans mentem, ac ſpiritum, ut diſcat ſcientiam, quæ regnis, & ſedibus præponitur: in cujus comparatione tamquam nihilum evaneſcunt omnes mundi honores, & divitiæ.

10. Æterne Deus! ergòne credibile eſt, delicias tuas eſſe cum filiis hominum? quia autem dixiſti ipſemet, hinc te ſuper rei credibilitate ampliùs non interrogo: qualiter verò cum filiis hominum eſſe deſideras, tale habes deſide-

ſiderium, ut cognoſcaris ab hominibus cur igitur ego creatura ingrata tam parum te cognoverim, frequenter ipſemet poſui cauſam; ſi enim in malevolam animam non intras, neque habitas in corpore, quod peccatis gravatur: ſi te non vident, ſeu te non cognoſcunt per lumen fidei ambulantes in via, niſi qui ſunt mundo corde, quomodo ego immundam habens conſcientiam te fontem puritatis videbo? quomodo tibi mecum in deliciis eſſe poterit?

11. Corporis oculus non poteſt intueri lucem, quàmdiu repletur ſpurcitia: quomodo mentis meæ oculus cognoſcet te Deum, qui es lux inaceſſibilis, quamdiu anima mea fædatur ex peccatorum turpitudine? munda igitur, Domine, cor meum, & ab iniquitate mea ampliùs lava me; ſic enim, & non aliter, te cognoſcere, ac diligere potero.

12. Sol admirabile manuum tuarum opus, non poteſt ſplendentem ſuam faciem in aqua exprimere, niſi hæc quieta ſit, & immunis à ventorum incurſu. Tu ſol juſtitiæ continuum habes deſiderium, ut te mihi magis, ac ma-

magis reveles, & divinam tuam faciem exprimas in anima mea; ego autem, quia iſta quieta non eſt, ſed perturbatur ex inordinatis temporalium, & ſenſualium ſideriis, obicem hactenus poſui: atque ideo non cognovi te, ò pulchritudo infinita, & æterna!

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXXVII.

13. TU Deus altiſſimus humilia reſpicis in Cœlo & in terra; alta verò, ſeu ſuperbos mente cordis ſui à longè cognoſcis; tu igitur inexplicabilem theſaurum cognitionis tui abſcondiſti à ſapientibus, & prudentibus hujus ſæculi, revelas autem parvulis, ſeu humilibus corde. Te proinde eo modo, quo cognoſci deſideras, non cognoſcunt, quos ſuperbia inflat, ut velint videri, quaſi noſſent omnia, cognoſcunt autem te humiles, ſcientes nempe tuam ſuper omnia excellentiam, & ſuum coram te nihilum: & cum his eſt tua ſermocinatio.

14. Quis de cunctis mortalibus te Deum Cœli, & univerſorum Dominum ità

ità cognovit, ac perinde ſimiliter dilexit, ſicut te cognovit, & dilexit Maria Virgo, tuique filii unigeniti mater pretioſiſſima? reſpexiſti enim humilitatem ancillæ tuæ. Quis de omnibus hujus mundi ſapientibus, qui fuerunt magni in oculis ſuis, & quà tales voluerunt ab aliis ſuſpici, te Deum cognovit eo modo, quo a creaturis tuis cognoſci, & adorari deſideras? nemo te cognovit, & nemo cognoſcet impoſterum. Humiliare igitur me debeo ego pulvis & cinis, aut cœleſtem ſapientiam, ſeu cognitionem tuæ divinæ Majeſtatis non potero aſſequi: & quò profundiùs mente in abyſſum nihili mei deſcendam, eò altiùs aſcendam ſpiritu, ut cognoſcam te Deum meum & Dominum meum.

15. Nulla ars, nulla ſcientia addiſcitur, niſi ardens deſiderium præcedat, quin & continuò permaneat; secùs enim ad menſuram deſiderii fructus ſequetur. Memoriam habeo illorum temporum, quibus multùm deſiderabam in hac, vel ſcientia proficere: & quando conformiter ad voluntatis impulſum progredi non poteram, cor

meum

meum quaſi vim patiebatur. O quantos paſſus in via perfectionis feciſſem, ſi ſimile deſiderium habuiſſem, & continuaſſem pro addiſcenda Sanctorum ſcientia! hìc non agitur de ſuperandis multis, magniſque laboribus, quia ardens deſiderium mediante fidei lumine ſufficit; objectum hujus ſcientiæ talé eſt, quod in æternum permanet, tu Deus nempe, unus, & trinus.

16. Cur tam modicum in corde meo deſiderium experior, ut te, ò pulchritudo æterna! meliùs cognoſcerem, ac diligerem? quod interrogo, meam inſpiciens conſcientiam? oculos quippe dirigo ad terrena, & temporalia, & in hæc cor meum effundo; quo enim cogitationes meæ de die in diem collimant, quin imò quò primæ cogitationes diei feruntur? ad ea nimirum, quæ ſunt hujus mundi: quænam ſunt: de quibus quotidianos diſcurſus facio, & libenter audio? de iis nempe, prout dicit propheta: *Cœlum Cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum*. Sicut igitur cogitationes meæ, & verba ad terrena, tranſitoria, verbo, ad vanitates diriguntur, ſic exinde perturbatur,

tur, & obfuſcatur intellectus, qui propterea ſe altiùs elevare non poteſt, ut cognoſceret te Deum, te infinitam, & æternam pulchritudinem.

17. Continuò de mente, & ore occupari in temporalibus, & velle te Deum, te ſummum, & unicum bonum cognoſcere, eſt idem, ac ſi quis duobus dominis ſerviret, aut componeret naturam cum gratia, vel carnem cum ſpiritu; temporalia enim parturiunt innumeras ſolicitudines, perturbationes animi, & in intellectu tenebras: ex quo non eſt poſſibile, ut ſimul ſtet Sanctorum Scientia, ſeu tuæ divinæ Majeſtatis cognitio; hæc enim aliter haberi, & poſſideri non poteſt, niſi ubi regnat pax, & tranquillitas animi; *nam cùm quietum ſilentium continerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, Omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de Cœlo à regalibus ſedibus proſilivit*. O igitur beatum ſilentium! beàta animi, & cordis tranquillitas! hæc enim eſt via, per quam mente, & ſpiritu ſurſum elevor, & *omnipotens ſermo tuus*, Domine dignatur deſcendere, & loqui ad cor, ut te melius noverim, & ardentius diligam. AVE

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXXVIII.

De memoria Dei.

1. QUàm admirabilia ſunt opera tua, Domine! omnia enim, etiam apparenrer parva, gloriam tuam annuntiant. Tu hominem, quem ad imaginem feciſtì, dotaſti memoriæ potentia, quæ, quamvis non nullum ſit in pretio, re ipſa tamen eſt admodum nobilis. Tantam quippe habet amplitudinem, ut omnia, quæcunque ſibi obvenerint, poſſit recipere, abſque eo tamen, ut repleatur, nè plura recipere valeat. Tam mirabilem inſuper habet virtutem, ut in ſe pacificè habitare poſſint, quæ cæteroquin tamquam ſimultanea ſecundùm intellectus dictamen repugnant, qualia ſunt præterita, præſentia, & futura. Et tandem memoria ſæpiſſime talia in ſe continet, quæ natura nunquam produxit. Eſt igitur & memoria mirabile opus tuæ omnipotentiæ, ſi impendatur ad finem, pro quo eam feciſti.

2. Res, cujus æſtimabilitas non cogno-

gnoſcitur, non eſt in pretio; tantò magis igitur non applicatur ad finem, pro quo eſt condita. Domine Deus, tu me locupletaſti nobili potentia memoriæ, ego autem hujus pretium non cognovi, nec propterea debitas tibi rependi gratias: quin imò multipliciter abuſus ſum memorià, quia hanc continuò replevi inutilibus, mundanis, vaniſque cogitationibus, quas indubitanter miſſa facerem, ſi cum millenis, & millenis Eremi cultoribus nihil intuerer, niſi Cœlum, & terram. Hanc autem manſionem in remota ſolitudine ab unoquoque homine tu Deus non deſideras.

3. Quin & tuus unigenitus filius in natura humana ambulans non permanmanſit continuò ſolitarius, ſed pro tempore a te prædefinito cum hominibus converſatus eſt, ut doctrinam cæleſtem annuntiaret verbo, & confirmaret exemplo, perficeretque opus à te ſibi impoſitum. Hoc autem tu Pater, qui in Cœlis es, à me deſideras, & juſtiſſimè, ut oculos meos, aures, alioſque ſenſus contra vanitates &c. cuſtodiam, nè mors, quaſi per feneſtras, poſſit aſcendere, & ingens detrimentum cauſa-

re

re in anima: atque hoc facere poſſum nempe meliùs cuſtodire ſenſus, etiam extra eremum, aut quatuor muros, imò in medio mundi ambulans: & ſi ritè ſenſus cuſtodiero, erit res facilis, ut tui, ò Deus, ſæpius, quin & in omni loco meminerim.

4. Quidquid extra te eſt, ſicut ſemel debet evaneſcere, ſic reputari debet tamquam nihilum: quam habeo utilitatem, dum memoriam continuis cogitationibus de creaturis refertum circumfero? profectò alia utilitas mihi non remanet, niſi quod inanes creaturarum ſpecies, aut figuræ in memoria reſideant; ſienim ipſæmet creaturæ coram te Deo ſunt tamquam nihilum, an earum nudæ ſpecies coram me erunt quid ampliùs? ſtulta hæc eſſet cogitatio; millies enim cogitare poſſum de homine; per inde tamen cogitatio mea homo non fiet, ſederit quid tranſiens, ſicut folium, quod vento rapitur.

5. Si autem tui, omnipotens ſempiterne Deus, ſim memor, temetipſum ſecundùm eſſentiam habeo præſentem in anima: temetipſum video, quamquam ut viator duntaxat per lumen fidei;

quæ

quæ tamen quoad objectum tam certa eſt, quàm certa ſit ipſamet intuitiva viſio. Si, inquam, tui ſim memor, temetipſum, non ſecundùm vanam ſpeciem, ſed ſecundùm eſſentiam habeo præſentem in anima: tecumipſo de corde ad cor loquor, & tu mihi reſpondes. Quanta igitur eſt differentia inter tuì, ò Deus, & creaturarum memoriam!

6. O quàm exoptabilis, & felix eſſet jactura, ſi memoriam meam evacuarem omni cogitatione de rebus inutilibus, tranſitoriis, & momentaneis, quæ ſunt in hoc ſæculo, & cum iſto tranſeunt; ut inceſſanter, prout permittit humana fragilitas, tui, ò Altiſſime, memor eſſe poſſem! ad hoc tendunt cordis mei deſideria, quæ quia infirma ſunt, tu confirmare dignaberis.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXXIX.

7. Confiteor tibi Deo Patri omnipotenti, quòd tuì hactenus, prout debuiſſem memoriam non habuerim: & quando tuì recordabar, quàm tepidè, quàm languidè id contigit? & cur ità? dies non labitur, quà meimetipſius

tipſius memor non ſim: in te vivo, in te moreor, & ſum; cur igitur ſino abire horas, diem, imò dies, abſque vivaci, ſeriaque tui memoria? ah quid interrogo? tota cauſa in fidem meam: utpote languidam, refunditur.

8. Comprehenſores, & ſinguli vel ad unicum inſtans tui immemores eſſe non poſſunt. quia per lumen gloriæ te Deum unum, & trinum intuentur facie ad faciem: ego ſum viator, ex hac lachrymarum valle tendens ad terminum, ſeu Cœleſtem Patriam; ut igitur te noverim, vivamque tui memor, lumine fidei ut plurimum indigeo: & illud ex infinita tua miſericordia mihi dediſti; ſed ex parte mea non ſufficit, ut habeam fidei lumen, quia ſecundùm iſtud debeo aperire mentis, & claudere corporis oculos, ideſt, meminiſſe debeo, quid fides mihi dictet, & ad quem finem me dirigat, atque ſic non potero tui, ò Altiſſime, frequentem non habere memoriam.

9. Et quia ſecutus ſum dictamen ſenſuum, hinc in me fuit rara tui, o Deus, recordatio: ſenſus enim te non noverunt: ſi interrogo oculos, ubi eſt Deus? reſpon-

reſpondent : *nos Deum non vidimus, quia non eſt lux aliqua materialis, aut quid lucidum, & coloratum.* Si alios ſenſus interrogo, id ipſum reſpondent, dicentes, *cùm Deus non ſit ſonus, non odor, non ſapor, non corpus, nos eum non cognovimus.* Sic nempe contingit, cur tui tam frequenter immemor vivam ex tua infinita aonitate, & miſericordia fidem quidem habeo, non autem, ſequor hujus dictamen, ſed ſino me dirigi ab mpulſu ſenſuum, & hi te non noverunt. Errorem igitur meum agnoſcens & deflens,amplius æſtimabo fidem, quę deinceps erit unica animę meę vita.

10. Quando recogito annos, quos vixi hactenus, quam paucos invenio dies, imò quam paucas horas, quibus, tui, ò Deus! o ſummum, & unicum bonum, ſeriò, prout oportuiſſet, memor fuiſſem? computum enim dierum meorum faciens, video, quòd multum temporis per ſomnum, quem natura poſtulat, per refectionem corporis. per recreationes, converſationes, longaque colloquia, tranſegerim, & in his, aliiſve actibus poterat contingere, ut tui memor eſſem, ſaltem per intentionem

nem prævIam; ſed quoties id contigit? an autem aliòs, ſeu extra illos actus tui ſeriò fui memor? heu me! pro quot horis; pro quot diebus, pro quot ſeptimanis conſcientia propria de contrario perhibet teſtimonium?

11. Sed fortè illo modico tempore, quo per exercitia ſpiritualia tuam divinam Majeſtatem laudavi, ſerio fui tui memor? quantùm confundor in conſpectu, ò Altiſſime, dies pręteritos recogitans? conveni ad Eccleſiam, interfui tremendo Miſſæ Sacrificio, aliiſque ſanctis exercitiis, ſed quoties fui præſens duntaxat corpore, te adorans tantùm per labia? animò enim vagabar alibi, nempe inter curas, vel occupationes domeſticas, aut omnino inter vanitates. Quàm modicum igitur tempus remanet, de quo gloriari, lætarique poſſem, quòd ſeriò fuerim tui memor?

12. Quantam ſuper præteritis vitæ meæ diebus habeo dolendi materiam? id enim, quòd debuiſſem ut plurimùm agere, nimirum meminiſſe tui, o Deus, vel maximè neglexi: & id, quod nullatenus agere debuiſſem, rerum nempe

temporalium, inutilium & evaneſcentium habere memoriam, egi ut plurimùm: & qua de cauſa? quia ſeriam tui recordationem non habui in pretio, ſeu non æſtimavi, pro ut æſtimare debuiſſem: & non regreſſi inordinatos affectus ad ea, quæ ſunt hujus mundi, & cum iſto debent aliquando deſinere; atque hinc ſpiritus non poterat ſe elevare ſuper ſe.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XL.

13. Dixit vir ſecundùm cor tuum, Domine, & ego veritatem per experientiam intelligo, quòd vita hominis ſuper terram ſit militia, quæ vel maximè agitur inter fidem, & dictamen ſenſuum; hos igitur ſi haberem bene regulatos, adeòque ſubjectos ſpiritui, quanta foret mea felicitas? ſpiritus enim pro tunc non pateretur reſiſtentiam à ſenſibus, adeòque dulciter, ſuaviter, &, prout in vita mortali eſt poſſibile, quaſi inceſſanter, ex virtute fidei ſe ſurſum elevaret uſque ad tui, ò Deus! memoriam.

14. Quan-

14. Quando ſol in meride plenum ſplendorem emittit, poſſunt accendi millenæ, & millenæ faculæ, nulla tamen videbitur, prout ſingulariter lucens nempe ſecundùm lucem aliàs ſibi propriam: ſimiliter ſi mei ſenſus millena, & millena dictamina, ſive ad bona hujus mundi, ſive ad vitæ commoditates, ſive, & tantò magis ad ea, quæ legi tuæ, ò Altiſſime, immediatè contrariantur, ſuggererent, eadem dictamina deberent quàmprimùm evaneſcere, quando in anima mea ſplendeſceret, & regnaret viva fides; hæc enim docet omnia extra te eſſe inane nihilum: & ideo dulcis eſſet continua tui ſolius memoria, quia in te omnia, & hæc æterna invenio.

15. O Deus! ò æterna veritas! ſi tibi tantam fidem, & non quid ampliùs attribuerem, quantùm moveor ex impulſu, vel experientia ſenſuum, ut confitear hoc, vel illud ità eſſe, in tali caſu committerem injuriam erga te longe graviſſimam, quin & forem reus blaſphemiæ contra divinam tuam Majeſtatem: & tamen, prò pudor! quanta eſt ingratitudo mea? re ipſa me ſine plus

moveri de experientia ſenſuum, quàm ex dictamine fidei.

16. Video, quod ſol in firmamento reſplendeat, & agnoſco, eſſe diem: quapropter facio opera, quæ per diem ſolent contingere. Fides me docet, quòd tu Deus ſis ſummum, & unicum bonum: quòd tu, utpote immenſus, ſis ubique præſens, & perinde mihi intimior, quam anima mea ſit in corpore, ut perinde repugnet, tuum conſpectum vel pro momento temporis poſſe effugi: quòd me plus dilexeris, quàm omnes angeli, & homines poſſent me diligere. Hæc nempe, & plura, fides me docet: & de his omnibus magìs ſum certus, quàm actu, dum hæc loquor, me vivere noverim: & tamen, ò meam ingratitudinem! earum, quæ ſenſus mihi dictant, non vivo immemor: ea autem, quæ me docet fides certiſſima, quaſi in oblivione relinquo, aut certò de iis raro, vel non niſi obiter habeo memoriam: ò quàm longè aliter viverem, ſi in omnibus moverer ex dictamine fidei!

17. Tanta eſt dilectio, quà tu Deus animam meam proſequeris, ut inſtans apud me non abeat, quò tu mei memor non

non eſſes, idque unicè in bonum meum; quatenus tuæmetipſius infinitæ beatitudinis in ęternum particeps fiam. Apud nos mortales, qualiſcumque ſit amicitia, ac perinde amor reciprocus, horæ; & fortè dies labuntur, abſque eo quòd duo amici ſint ad invicim memores, ut nempe alteri benefaceret. Tibi Deo meo, & Domino meo, qui es æterna, & infinita bonitas, non ſufficit mei, qui ſum vilis terrę vermiculus, & coram te tamquam nihilum, continuò meminiſſe, ſed pergis nova, & nova conferre beneficia. Quid nunc cogito, dum ſino abire, non momenta, ſed horas, & dies abſque eo, quòd ſeriam de te cogitationem conciperem? quę ſenſus mihi pręſentant, non in animę bonum, ſed periculum, eorum ſum memor: à te habeo eſſe, & omnia, pergo tamen tui immemor vivere; & cur? quia in fide, quam ore profiteor, in corde defeci.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XLI.

18. DUM in mente habeo vitę meę dies pręteritos, pręſentes, & futuros, *renuit conſolari anima mea*; pręteritos quippe dies recogitans, video,

deo, quòd multa mala fecerim, bona pauca, & hęc parum bene. Reminiſcor inſuper, me neglexiſſe tot occaſiones bona pręſtandi: & quot iſtę fuerint, tibi Deo meo eſt compertum, ego dolenter noſſe debeo, quòd dies pręteriti amplius non redeant.

19. Actualem vitę meę ſtatum conſiderans, audio vocem ab intrà, quę me memorem facit, quis nunc eſſe poſſem, ſeu quàm faciliter potuiſſem ad perfectionem ſtatui meo convenientem aſcendere, ſi cooperatus fuiſſem tot, tantiſque gratiis, quas tu Deus ex unica bonitate, & miſericordia largiri dignatus es. Dum igitur actu non ſum, qui ſecundùm conditionem meam eſſe poſſe, & deberem, cauſa penes me ſtat; gratias verò mihi datas, & dies pręteritos revocare non poſſum.

20. Statuens coram mentis meę oculis dies vitę fururos, & fortè paucos, neſcio, quid dicam; ſcientiam enim non habeo de finali gratia: & abſque hac non bene concludam, vitę mortalis periodum; multi namque (quot, tu Deus noſti:) malè cœperunt, ſed ad te tandem converſi in bono finaliter perſeve-

ſeverarunt. Similiter multi diu, ſeu per annos, & annos duxerunt vitam juſtam; & rectam in fine autem receſſerunt à te, & facti ſunt ęterne mortis filii. Omnia igitur dependent à finali gratia: hanc verò ex unica bonitate largiris: ſi das, facis, miſericordiam; ſi non das nemo de facta ſibi injuria poteſt conqueri, quia gratia eſt, & non quid cui piam debitum. Tu autem Domine, etiam non dando finalem gratiam adhuc juſtus permanes. Atque hoc jam eſt, ſuper quo renuit conſolari anima mea; quia tamen novi, infinitam eſſe tuam miſericordiam, & propterea te non velle mortem peccatoris, ſed ut convertatur, ac vivat, & quidem in ęternum, hinc ſpero, quòd: te donante, ſim habiturus donum finalis gratię.

21. Atque ideo *memor* fui tui, Deus, & *delectatus ſum*, fateor enim, me multa mala feciſſe, bona pauca, & hęc parum bene; dum autem tui ſum memor, habeo certitudinem, quod major ſit tua bonitas, & miſer,cordia prę omnibus iniquitatibus meis: hę enim, quantumvis ſint multę, ac magnę, menſuram tamen habent, & numerum: tua

verò miſericordia eſt
& propterea per pec
multiplicata exhauriri
proinde tantò ampliùs
plura, quò majora
dimittere.

22. Fateor iterum
gnaque ſunt peccata m
hęc juſtiſſimam ſupren
Judicis indignationem,
tionem ad mortem ęter
ſed memor fui, Deus
ſum, quia tu cor contr
liatum non deſpicis, q
finita eſt tua miſericordi
dum cum filio prodigo a
in momento ſuſcipis in
catis ejus amplius non c
nihil mali feciſſet. Qu
ter ſuſceperis, tu noſti
lorum ingentem eſſe n
igitur alii pœnitere pot
tere poſſum & ego, me
tia, dum modo ipſemet

23. Peccata mea r
ſum fateor, me indign
ut divinam faciem tuam
theſaurum perdidi, quo

[illegible]

tis [illegible]

[illegible]

[illegible]

in [illegible]

Sed [illegible]

tus [illegible]

de [illegible]

[illegible]

gam : [illegible]

[illegible]

22 [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

mor [illegible]

[illegible]

de te [illegible]

finalem [illegible]

& ego [illegible]

minatus , [illegible]

meminerim : [illegible]

infinite [illegible]

die non [illegible]

gratia [illegible]

te , cuius [illegible]

que vita [illegible]

charitate [illegible]

ctis [illegible]

quæ tamen quoad objectum tam certa eſt, quàm certa ſit ipſamet intuitiva viſio. Si, inquam, tui ſim memor, temetipſum, non ſecundùm vanam ſpeciem, ſed ſecundùm eſſentiam habeo præſentem in anima: tecum ipſo de corde ad cor loquor, & tu mihi reſpondes. Quanta igitur eſt differentia inter tuì, ò Deus, & creaturarum memoriam!

6. O quàm exoptabilis, & felix eſſet jactura, ſi memoriam meam evacuarem omni cogitatione de rebus inutilibus, tranſitoriis, & momentaneis, quæ ſunt in hoc ſæculo, & cum iſto tranſeunt; ut inceſſanter, prout permittit humana fragilitas, tui, ò Altiſſime, memor eſſe poſſem! ad hoc tendunt cordis mei deſideria, quæ quia infirma ſunt, tu confirmare dignaberis.

Ave Maria

SOLILOQUIUM XXXIX.

7. Confiteor tibi Deo Patri omnipotenti, quòd tuì hactenus, prout debuiſſem memoriam non habuerim: & quando tuì recordabar, quàm tepidè, quàm languidè id contigit? & cur ità? dies non labitur, quà meimetipſius

tipſius memor non ſim: in te vivo, in te moreor, & ſum; cur igitur ſino abire horas, diem, imò dies, abſque vivaci, ſeriaque tui memoria? ah quid interrogo? tota cauſa in fidem meam: utpote languidam, refunditur.

8. Comprehenſores, & ſinguli vel ad unicum inſtans tui immemores eſſe non poſſunt. quia per lumen gloriæ te Deum unum, & trinum intuentur facie ad faciem: ego ſum viator, ex hac lachrymarum valle tendens ad terminum, ſeu Cœleſtem Patriam; ut igitur te noverim, vivamque tui memor, lumine fidei ut plurimum indigeo: & illud ex infinita tua miſericordia mihi dediſti; ſed ex parte mea non ſufficit, ut habeam fidei lumen, quia ſecundùm iſtud debeo aperire mentis, & claudere corporis oculos, ideſt, meminiſſe debeo, quid fides mihi dictet, & ad quem finem me dirigat, atque ſic non potero tui, ò Altiſſime, frequentem non habere memoriam.

9. Et quia ſecutus ſum dictamen ſenſuum,hinc in me fuit rara tui,o Deus, recordatio: ſenſus enim te non noverunt: ſi interrogo oculos,ubi eſt Deus? reſpon-

reſpondent : *nos Deum non vidimus; quia non eſt lux aliqua materialis, aut quid lucidum, & coloratum.* Si alios ſenſus interrogo, id ipſum reſpondent, dicentes, *cùm Deus non ſit ſonus, non odor, non ſapor, non corpus, nos eum non cognovimus.* Sic nempe contingit, cur tui tam frequenter immemor vivam ex tua infinita aonitate, & miſericordia fidem quidem habeo, non autem ſequor hujus dictamen, ſed ſino me dirigi ab mpulſu ſenſuum, & hi te non noverunt. Errorem igitur meum agnoſcens & deflens, amplius æſtimabo fidem, quę deinceps erit unica animę meę vita.

10. Quando recogito annos, quos vixi hactenus, quam paucos invenio dies, imò quam paucas horas, quibus, tui, ò Deus! o ſummum, & unicum bonum, feriò, prout oportuiſſet, memor fuiſſem? computum enim dierum meorum faciens, video, quòd multum temporis per ſomnum, quem natura poſtulat, per refectionem corporis, per recreationes, converſationes, longaque colloquia, tranſegerim, & in his, aliiſve actibus poterat contingere, ut tui memor eſſem, ſaltem per intentio-

nem

nem prævia m; ſed quoties id contigit? an autem aliòs, ſeu extra illos actus tui ſeriò fui memor? heu me! pro quot horis; pro quot diebus, pro quot ſeptimanis conſcientia propria de contrario perhibet teſtimonium?

11. Sed fortè illo modico tempore, quo per exercitia ſpiritualia tuam divinam Majeſtatem laudavi, ſerio fui tui memor? quantùm confundor in conſpectu, ò Altiſſime, dies preteritos recogitans? conveni ad Eccleſiam, interfui tremendo Miſſæ Sacrificio, aliiſque ſanctis exercitiis, ſed quoties fui præſens duntaxat corpore, te adorans tantùm per labia? animò enim vagabar alibi, nempe inter curas, vel occupationes domeſticas, aut omnino inter vanitates. Quàm modicum igitur tempus remanet, de quo gloriari, lætarique poſſem, quòd ſeriò fuerim tui memor?

12. Quantam ſuper præteritis vitæ meæ diebus habeo dolendi materiam? id enim, quòd debuiſſem ut plurimùm agere, nimirum meminiſſe tui, o Deus, vel maximè neglexi: & id, quod nullatenus agere debuiſſem, rerum nempe

temporalium, inutilium & evaneſcentium habere memoriam, egi ut plurimùm: & qua de cauſa? quia ſeriam tui recordationem non habui in pretio, ſeu non æſtimavi, pro ut æſtimare debuiſſem: & non regreſſi inordinatos affectus ad ea, quæ ſunt hujus mundi, & cum iſto debent aliquando deſinere; atque hinc ſpiritus non poterat ſe elevare ſuper ſe.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XL.

13. Dixit vir ſecundùm cor tuum, Domine, & ego veritatem per experientiam intelligo, quòd vita hominis ſuper terram ſit militia, quæ vel maximè agitur inter fidem, & dictamen ſenſuum; hos igitur ſi haberem bene regulatos, adeòque ſubjectos ſpiritui, quanta foret mea felicitas? ſpiritus enim pro tunc non pateretur reſiſtentiam à ſenſibus, adeòque dulciter, ſuaviter, &, prout invita mortali eſt poſſibile, quaſi inceſſanter, ex virtute fidei ſe ſurſum elevaret uſque ad tui, ò Deus! memoriam.

14. Quan-

14. Quando ſol in meride plenum ſplendorem emittit, poſſunt accendi millenæ, & millenæ faculæ, nulla tamen videbitur, prout ſingulariter lucens nempe ſecundùm lucem aliàs ſibi propriam; ſimiliter ſi mei ſenſus millena, & millena dictamina, ſive ad bona hujus mundi, ſive ad vitæ commoditates, ſive, & tantò magis ad ea, quæ legi tuæ, ò Altiſſime, immediatè contrariantur, ſuggererent, eadem dictamina deberent quàmprimùm evaneſcere, quando in anima mea ſplendeſceret, & regnaret viva fides; hæc enim docet omnia extra te eſſe inane nihilum: & ideo dulcis eſſet continua tui ſolius memoria, quia in te omnia, & hæc æterna invenio.

15. O Deus! ò æterna veritas! ſi tibi tantam fidem, & non quid ampliùs attribuerem, quantùm moveor ex impulſu, vel experientia ſenſuum, ut confitear hoc, vel illud ità eſſe, in tali caſu committerem injuriam erga te longe graviſſimam, quin & forem reus blaſphemiæ contra divinam tuam Majeſtatem: & tamen, prò pudor! quanta eſt ingratitudo mea? re ipſa me ſine plus

 mo-

moveri de experientia ſenſuum, quàm ex dictamine fidei.

16. Video, quod ſol in firmamento reſplendeat, & agnoſco, eſſe diem: quapropter facio opera, quæ per diem ſolent contingere. Fides me docet, quòd tu Deus ſis ſummum, & unicum bonum: quòd tu, utpote immenſus, ſis ubique præſens, & perinde mihi intimior, quam anima mea ſit in corpore, ut perinde repugnet, tuum conſpectum vel pro momento temporis poſſe effugi: quòd me plus dilexeris, quàm omnes angeli, & homines poſſent me diligere. Hæc nempe, & plura, fides me docet: & de his omnibus magìs ſum certus, quàm actu, dum hæc loquor, me vivere noverim: & tamen, ò meam ingratitudinem! earum, quæ ſenſus mihi dictant, non vivo immemor: ea autem, quæ me docet fides certiſſima, quaſi in oblivione relinquo, aut certò de iis raró, vel non niſi obiter habeo memoriam: ò quàm longè aliter viverem, ſi in omnibus moverer ex dictamine fidei!

17. Tanta eſt dilectio, quà tu Deus animam meam proſequeris, ut inſtans apud me non abeat, quò tu mei memor non

non eſſes, idque unicè in bonum meum; quatenus tuæmetipſius infinitæ beatitudinis in ęternum particeps fiam. Apud nos mortales, qualiſcumque ſit amicitia, ac perinde amor reciprocus, horæ, & fortè dies labuntur, abſque eo quòd duo amici ſint ad invicim memores, ut nempe alteri benefaceret. Tibi Deo meo, & Domino meo, qui es æterna, & infinita bonitas, non ſufficit mei, qui ſum vilis terrę vermiculus, & coram te tamquam nihilum, continuò meminiſſe, ſed pergis nova, & nova conferre beneficia. Quid nunc cogito, dum ſino abire, non momenta, ſed horas, & dies abſque eo, quòd ſeriam de te cogitationem conciperem? quę ſenſus mihi pręſentant, non in animę bonum, ſed periculum, eorum ſum memor: à te habeo eſſe, & omnia, pergo tamen tui immemor vivere; & cur? quia in fide, quam ore profiteor, in corde defeci.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XLI.

18. DUM in mente habeo vitę meę dies pręteritos, pręſentes, & futuros, *renuit conſolari anima mea*; pręteritos quippe dies recogitans, vi-

deo, quòd multa mala fecerim, bona pauca, & hęc parum bene. Reminiſcor inſuper, me neglexiſſe tot occaſiones bona pręſtandi: & quot iſtę fuerint, tibi Deo meo eſt compertum, ego dolenter noſſe debeo, quòd dies pręteriti amplius non redeant.

19. Actualem vitę meę ſtatum conſiderans, audio vocem ab intrà, quę me memorem facit, quis nunc eſſe poſſem, ſeu quàm faciliter potuiſſem ad perfectionem ſtatui meo convenientem aſcendere, ſi cooperatus fuiſſem tot, tantiſque gratiis, quas tu Deus ex unica bonitate, & miſericordia largiri dignatus es. Dum igitur actu non ſum, qui ſecundùm conditionem meam eſſe poſſe, & deberem, cauſa penes me ſtat; gratias verò mihi datas, & dies pręteritos revocare non poſſum.

20. Statuens coram mentis meę oculis dies vitę fururos, & fortè paucos, neſcio, quid dicam; ſcientiam enim non habeo de finali gratia: & abſque hac non bene concludam, vitę mortalis periodum; multi namque (quot, tu Deus noſti:) malè cœperunt, ſed ad te tandem converſi in bono finaliter perſeve-

ſeverarunt. Similiter multi diu, ſeu per annos, & annos duxerunt vitam juſtam; & rectam in fine autem receſſerunt à te, & facti ſunt ęterne mortis filii. Omnia igitur dependent à finali gratia: hanc verò ex unica bonitate largiris: ſi das, facis, miſericordiam; ſi non das nemo de facta ſibi injuria poteſt conqueri, quia gratia eſt, & non quid cui piam debitum. Tu autem Domine, etiam non dando finalem gratiam adhuc juſtus permanes. Atque hoc jam eſt, ſuper quo renuit conſolari anima mea; quia tamen novi, infinitam eſſe tuam miſericordiam, & propterea te non velle mortem peccatoris, ſed ut convertatur, ac vivat, & quidem in ęternum; hinc ſpero, quòd: te donante, ſim habiturus donum finalis gratię.

21. Atque ideo *memor* fui tui, Deus, & *delectatus ſum*, fateor enim, me multa mala feciſſe, bona pauca, & hęc parum bene; dum autem tui ſum memor, habeo certitudinem, quod major ſit tua bonitas, & miſer,cordia prę omnibus iniquitatibus meis: hę enim, quantumvis ſint multę, ac magnę, menſuram tamen habent, & numerum: tua

verò miſericordia eſt abſque limitibus, & propterea per peccata in infinitum multiplicata exhauriri non poteſt: hanc proinde tantò ampliùs manifeſtas, quò plura, quò majora peccata dignaris dimittere.

22. Fateor iterum, multa, magnaque ſunt peccàta mea: & propter hęc juſtiſſimam ſupremi, tremendique Judicis indignationem, ac condemnationem ad mortem ęternam promerui: ſed memor fui, Deus, & delectatus ſum, quia tu cor contritum, & humiliatum non deſpicis, quin &, quia infinita eſt tua miſericordia, pœnitentem dum cum filio prodigo ad te revertitur, in momento ſuſcipis in filium, de peccatis ejus amplius non cogitans, quaſi nihil mali feciſſet. Quot proinde taliter ſuſceperis, tu noſti: ego ſcio, illorum ingentem eſſe numerum. Dum igitur alii pœnitere potuerunt, pœnitere poſſum & ego, mediante tua gratia, dum modo ipſemet ſeriò velim.

23. Peccata mea recogitans rurſum fateor, me indignum eſſe factum, ut divinam faciem tuam intuear: & ideo theſaurum perdidi, quo ſi reprobi inter

ter immenſos ſuos cruciatus vel ad momentum frui poſſent, adhuc ſe ęſtimarent felices. Tale nimirum eſt bonum intuitiva divinę Majeſtatis tuę viſio. Sed memor fui tui Domine, & delectatus ſum, quia tu unicè deſideras, ut de peccatis ſeriò dolens te tamquam benevolum Patrem invocem, ac diligam: & tu dignaris faciem tuam, & omne ſalutare tuum mihi oſtendere.

24. Sit igitur, Domine Deus, quo minùs ego hucuſque fui memor tui, dum tamen tu mei nec ad momentum obliviſceris, tantò frequentiùs ero memor impoſterum, & delectabor, ſeu gaudenter tibi ſerviam, & ex toto corde te diligam. Cęterùm quid quoad finalem gratiam futurum ſit, tu noſti, & ego ſcio, quod ex nunc ſim determinatus, ut in omnibus viis meis tui meminerim: atque hoc faciens, tuęque infinitę innitens bonitati, & miſericordię non confidere non poſſum, quòd gratiam finalem mihi pręparaveris, ut te, cujus fui memor in mortali, brevique vita, per omnem ęternitatem in charitate intuear, & cum omnibus electis glorificem.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XLII.

De Amore Dei.

1. Nihil diligitur, niſi quod ęſtimatur; nihil ęſtimatur, niſi quod tamquam bonum, & ideo amore dignum cognoſcitur: atque hinc eſt, cur tu Deus, & Dominus Cœli, ac terrę, à nobis hominibus, quamquam creatis ad tuam imaginem, tam parum, & inefficaciter diligaris, quia te, prout foret noſtrum debitum, non ęſtimamus. Diligitur, & rectè, mortalis homo propter bonum, quam monſtrat, voluntatem, vel animi indolem, aut alias virtutes, propter quas amore dignus redditur. Magne Deus, quid eſt bonitas, quid virtus, quid perfectio in homine, dum tuam ęternam pulchritudinem, bonitetem, ſanctitatem &c. contemplor?

2. Cœlum inter, & terram ingens eſt diſtantia: hęc tamen; quia habet limites, eſt menſurabilis; increata autem bonitas, & pulchritudo in infinitum diſtat à creata bonitate, & pulchri-

chritudine & tamen nos cęci mortales hanc, & alteram diligimus, utriuſque verò illius obliviſcimur, quia nempe neutram intuemur facie ad faciem; ex fide tamen ſumus certiſſimi, quod in te Deo, & ſolo exiſtat.

3. Hominem bona voluntate, & fideli corde prędìtum diligit proximus, & cum eo converſari ſibi eſt in deliciis, quia nempe ſimiliter bonam voluntatem, & fidele cor habet: & contra hanc dilectionem non poteſt per verbum fieri exceptio. Nunc autem altiùm mentem meam elevans quid loquar? an enim meliorem erga me voluntatem, an fidelius cor extra te Deum ego fui expertus? quis mihi dedit eſſe, & quęcunque habeo? quin & tibi parum fuiſſet, ut me tam nobiliter, ſeu ad tuammet imaginem conderes; voluiſti enim me ad participationem tuęmet ipſius infinitę beatitudinis, & quidem in ęternum admittere.

4. O ſi cognoviſſem, & ęſtimaſſem; quàm bonus, & dulcis ſis, Domine, omnibus, qui te èx toto corde, ex ex tota anima diligunt? quidquid enim amore dignum reperitur in creaturis

actu factis, aut quidquid reperiretur in creaturis poſſibilibus, non eſt, & non eſſet aliud, niſi nox reſpectu lucis, niſi gutta aquę reſpectu oceani, niſi atomus reſpectu orbis terrarum; quin imò omne amore dignum in creaturis adhuc minus eſt, quia inter paritates, quas recenſeo, datur magna, non tamen infinita diſtantia: & tamen creaturis prębeo cor meum, quod, & integrum, tu Deus poſtulas.

5. Ah quando veniet inſtans illud beatum, quo dulcedine ex immenſa bonitatis tuę abyſſo deguſtare potero! ſed hic non eſt neceſſum, ut ad finem hunc exoptatiſſimùm multa vota concipiam, hodie enim, hac hora, imo ipſo inſtanti id totum poteſt contingere, dum nempe te Deum, te ſummum, & unicum bonum, ex toto corde, & ſuper omnia diligo. Et ad hoc jam ſum determinatiſſimus, poſtquam diu, & ſtultè dilexi, ea nimirum, quę non ſunt amore digna, niſi denuo, & unicè propter te; quę enim extra te ſunt, & non referuntur ad te, tranſeunt, ſicut totus mundus debet ſemel deſinere: & tunc creaturas dilexiſſe quid proderit? tu autem

autem Domine idem ipſum ſummum, & unicum bonum in ęternum permanes.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XLIII.

6. OMnipotens, ſempiterne Deus; quid ego conferre potui ut me ad tuam crearcs imaginem? quàmdiu enim latebam in profundo nihili, non erat modus, quò quidquam mererer: & quando cœpi exiſtere, iterum nihil poteram ex meis viribus, omnia autem per tuam gratiam. Me igitur præ creaturis abſque numero, quæ perenniter in ſtatu ſolius poſſibilitatis permanent, ex unico impulſu tuæ infinitæ bonitatis feciſti.

7. Poſtquam mihi dediſti eſſentiam tam nobilem, & quidem intra Eccleſiæ tuæ Sanctæ gremium, ut te per lumen fidei cognoſcerem præ gentibus, quæ ſedent in tenebris, & in umbra mortis, in tali me poſuiſti ſtatu, ut non poſſim te non diligere; intellectus enim de ſemetipſo dictat, bonum debere diligi; fides autem me docet, te eſſe ſummum & unicum bonum; voluntas verò, ut-

pote

pote ad diligendum condita, fortiter movetur, & ſuaviter trahitur, ut ſummum, & unicè verum bonum diligat. Sit igitur, Domine Deus, dum intellectum, voluntatem, fidemque habeo, te ſummum, unicum, & æternale bonum ex toto corde, ex tota anima, & in omni fortitudine diligam. O beata voluntatis motio! ò dulcis tractio? quæ animæ meæ in mortali vita pacem, & tranquillitatem conciliat: in æternitate autem promovet ad completam beatitudinem.

8. Rex Sæculorum immortalis, tu deſideras à me, qui coram te ſum vilis terræ vermiculus, imò tamquam nihilum, ut te diligam ex toto corde, foveamque intimam tecum amicitiam: & quomodo fiet iſtud? amicitia enim pares invenit, aut facit: quis jam ſum ego? miſer peccator: quis eram paucos ante annos? inane nihilum: quis es tu? æternus Deus, & immenſæ majeſtatis Dominus infinitam à temetipſo habens gloriam, cui nihil poteſt accedere; & tu non tantùm deſideras à me diligi, ſed das mihi ſuave præceptum, & hoc ſæpius repetis, ut te ex toto corde

de diligam, quaſi complacentiam ex cordis mei actibus, ſeu ex frequentata dilectione conciperes, dum ab intra jam habes infinitum amorem, æternamque beatitudinem.

9. O'Altiſſime! parcere digneberis, dum in ſimplicitate mea per impoſſibile loquor; ecce ſi præceptum iſtud de *diligendo Deo ſuper omnia*, imponeretur uni ex tribus perſonis divinis, tunc ex una parte eſſet convenientiſſimum: inter diligentem enim, & dilectum æqualitas intercederet, cum quælibet perſona ſit unus, idemque Deus. Nunc autem, ut te ex toto corde, & ſuper omnia diligam, pnæcipis mihi, qui ſum pulvis, & cinis, imò nihilum, aut omnino propter peccata mea quid deterius nihilo: ubi jam inter *dilectum, & diligentem* eſt æqualitas? ſuper quo igitur jam mirabor ampliùs? an ſuper exceſſu tuæ bonitatis, quæ me ad te diligendum non tantùm invitat, ſed inſuper ſub præcepto adſtringit, an verò ſuper exceſſu meæ negligentiæ, dum non novi, aut potius non volo noſſe tantam felicitatem, eo quòd tu ipſemet complacentiam habeas, ſi te ex toto corde & ſuper omnia diligam?

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XLIV.

10. QUemadmodum ſalutem ex inimicis noſtris frequenter haurimus, ità poſſumus veritatem a filiis hujus ſæculi intelligere. Magne Deus! quantùm in conſpectu tuo confundor, recogitans, quin & oculis videns, illorum curam, & induſtriam eſſe in eo, ut ſubſtantiam mundi congregent, & de die in diem augeant: nulli ad hunc finem parcunt labori, tolerant, & ſuperant adverſa quæcunque: dolorem verò tunc, & maximè ſentiunt, quando patiuntur damnum, etiam leve, in temporalibus.

11. Tu Altiſſimus das mihi mandatum, in quo non eſt labor, ſed dulcedo, & ſuavitàs, *diliges* nempe, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: quid modo dicam, quid cogitem? hìc nulla difficultas intervenit, voluntati meæ, & cordi meo contraria, quia cor, & voluntas ex natura ſua ad diligendum propendent, & tantò magis, quò majus bonum proponitur; tu es ſummum;

mum, & unicum bonum, à quo omnia, quæ bona ſunt, bonitatem participant. Quid igitur modò dicam, quid cogitem?

12. Si mandatum hoc primum; & maximum adimpleo, pro mercede vita æterna cum poſſeſſione bonorum omnium, quæ tu ipſemet pro tua beatitudine ab æterno in æternum poſsides, mihi promittitur. Si mandatum illud non adimpleo, alterum extremum, infelicem nempe æternitatem cum omnium malorum cumulo, non poſſum evadere; quid nunc cogito, quid dico, utpote de alterutro extremo magis certificatus, quàm ſciam, me vivere, dum loquor ad te? unum enim eſt indiſpenſabiliter neceſſarium, aut ut in æternum ſim unus de iis, qui te in æternum diligunt, aut ut ſim inter illos, qui præ doloribus te ſinè fine blaſphemant. Quid ſuper hoc inevitabili veritate quoad primum mandatum cogito, quid dico? aut fidem depoſui, & cor meum debet eſſe adamanti ſimile, aut ut te Deum, te ſummum & unicum bonum ex toto corde diligam, me non determinare non poſſum. O igitur, ſi hoc

ſi hoc momento cor meum tolleretur de corpore, quando adhuc abſque tui amore perſiſteret!

13. Filius hujus ſæculi ſibi complacet in dilecti effigie, & tantò magis, quò vivacius hæc illum præſentant: iſtam proinde aſpiciens, quot elicit actus amoris? o Deus, ò pulchritudo æterna! ſi te noſſem, an poſſem te non diligere? quò igitur ibo, ut te noverim? non longè, quia me feciſti ad tuam imaginem: & te ex toto corde non diligam?

14. Beati Cives Cœleſtis Patriæ, quia tuam infinitam pulchritudinem, immenſamque majeſtatem facie ad faciem intuentur, ab amore vel pro unico inſtanti per omnem æternitatem non poſſunt deſiſtere; vident autem, quòd tu ipſemet ſumma, & dulciſſima neceſſitate ſis compulſus, ut tuam infinitam pulchritudinem cum reliquis perfectionibus inceſſanter diligas. Ah! quantùm nunc ego optarem, ut in amando poſſem me jungere cum omnibus Electis, & Angelicis Spiritibus, horumque Regina glorioſiſſima? Sicut enim omnium amor eſt cum tuomet amore co-

conjunctus, ſic taliter te diligerem ex eodem amore, quo temetipſum diligis. Quantùm ad hoc igitur cordis mei vota non deſpicies.

15. Spero autem, & ità firmiter, ut prius velim dubitare, an actu vivam, dum loquor ad te Deum meum, & Dominum meum: Scio tamen evidenter, me vivere. Spero, dixi, fore, ut de facie ad faciem intuear, diligam, & cum cunctis Cœlitibus, horumque Regina glorioſiſſima magnificem; atque tunc amor meus cum tuomet amore *conjunctus in æternum manebit*. Si ità, an ſit in mundo quidpiam, quod cor meum retrahat, ne ſaltem pro reliquis vitæ meæ diebus pergam te diligere? non tribulatio, non perſecutio, non anguſtia, non paupertas, non fames, non ſitis, non mors me à charitate, & dilectione ſummi, & unici boni ſeparare poterunt.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XLV.

16. Coram mundi hujus judicio felix, & ſummo honore dignus videretur homo ille, ad quem omnes de

de orbe regnantes legationem mitterent, cum dicto, ſe illi ſuam offerre amicitiam, & perinde omnes effectus, qui ex iſta naſcuntur. A contrario igitur ex omnium ſententia ejuſmodi homo haberetur tamquam inſipiens, ſi neglecto tanto honore, ſeu ſpreta dominantium in orbe amicitia, hanc potiùs iniret, & foveret cum ſtabuli famulo, huic intima cordis ſui ſecreta communicans, ac ſimiliter ab eo talia, & nihil aliud, ſcire cupiens.

17. O Altiſſime! tu es Deus Cœli, & univerſorum Dominus; quid igitur nunc ſentiam de amicitia omnium in mundo regnantium, dum conſidero amicitiam, quam tu mecum habere, & continuare deſideras? an dicam, illam eſſe tale quid, quod eſt aquæ gutta reſpectu maris? ſed ad quid ego comparationem facio, dum tua amicitia æſtimari non poteſt? tu itaque tum per inſpirationes ab intrà, tum per admonitiones ad extrà me vocare dignaris, ut amicitiam ſub charitatis vinculo tecum foveam. Si igitur tantam gratiam non æſtimem impoſterum, prout non æſtimavi hactenus, adeòque ſi pergam in-

inter creaturas amicitiam quærere, idque ex ſolo naturæ impulſu, me facio jumentis inſipientibus ſimilem.

18. Dixi, quòd tuam amicitiam hactenus rite non æſtimaverim; quærebam enim amicabiles converſationes, & ſuper his delectabar inter creaturas, ex motivis nempe duntaxat naturalibus: & ideo altioris amicitiæ vivebam immemor. Aperi igitur, ò Deus, ò pulchritudo æterna, ò infinita bonitas! oculos meos, ut æſtimare noverim felicitatem animæ, quæ à te diligitur, & te diligit, ac perinde tua fruitur amicitia: huic debitum pretium ſi poſuero, deguſtabo emanantem exinde cordis dulcedinem: & tunc quàm faciliter contemnam amicitias cum creaturis, utpote exortas ex motivis duntaxat naturalibus? quam gaudenter adhærebo tibi uni, qui es Deus meus, & omnia?

19. O Domine! ò Deus amoris, ò pulchritudo æterna! quàm ſerò cognovi, quàm ſerò amavi te? videbam ſubinde quidpiam amore dignum in creatura, & ſtatim cor meum erga hanc afficiebatur, & movebatur ad contra-

hen-

hendum amicitiæ vinculum: quid autem utilitatis exinde habeo? in te Deo meo, & Domino meo novi, non eſſe aliquid tantùm, nempe ſub uno, vel altero gradu, amore dignum, ſed te eſſe amore digniſſimum per omnia; novi etiam, quòd unicè ad te cognoſcendum, & amandum ſim conditus: converti tamen cor meum ad ea, quæ bonitatis, vel pulchritudinis umbram habent, imò coram te ſunt tamquam nihilum. Sed

20. Nunc ſemel pro ſemper ſtatuo, qualiter in omnibus, & per omnia ad æternas veritates velim ſeriò attendere; unum quippe de duobus eſt neceſſarium, aut ut in tempore, & æternitate ſim miſer, ſi nempe te ſummum, & unicum bonum hìc non dilexero, quamvìs de reliquo poſſiderem omnes mundi theſauros, honores & divitias: aut neceſſarium eſt, ut nunc te Deum diligam, quia ſinè amore nihil ſum, & nihil mihi prodeſt. Te autem diligens, & tecum habens amicitiam, beatus ſum, etiam ſinè omnibus mundi theſauris, gonoribus, vel divitiis: perire igitur, aut diligere, eſt neceſſarium.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XLVI.

21. INter nos mortales, quò vicinior eſt amicus, qui intime diligitur, eo major eſt inter diligentem, & dilectum conſolatio, & animi gaudium. Si ità, magne Deus, cum quo intimiorem, quàm tecum ipſo poſſum fovere amicitiam? tu mihi ſemper es prçſens, quin imò tu in anima mea, & in medio cordis mei habitare dignaris: tu loqueris ad cor, & aliter, quàm loqui poſſet amicorum de mundo optimus. Tu memor es mei, dum ego tui non ſum memor. Tu diligis me, dum ego nullum dilectionis actum exerceo; quot enim per diem horę abeunt, ubi nullam tui facio memoriam?

22. Tu mi Deus, ſemper, & in omni loco mihi prçſens es: ſed ego actu te facie ad faciem non intueor, quia ſpiritus eſt tu; quid autem exinde ſequitur? ſint duo veri amici, qui ſe mutuò velut cor unum, & anima una diligunt; contingit interea frequentiſſime, ut alter alterum per diem, aut diutius corpora-

poraliter non videat: & tamen mutua conſolatione fruuntur, quia alter alterius habet in animo ſpeciem: ęterne Deus, quid iterum cogito? novi, me ad tuam imaginem eſſe creatum: igitur tui ſpeciem, non nudam, aut tranſeuntem, ſed veram in me circumfero; & hoc ſciens, cum quo poſſem intimiorem, felicioremque amicitiam contrahere?

23. Dixi, me non nudam, vel tranſitoriam, ſed veram tui habere ſpeciem, quia ad tuam imaginem ſum conditus: & quia tam nobile eſſe mihi dediſti, hinc quàmdiu vivo in gratia, tu totus es in me, & ego in te; tu enim es Charitas: *qui* autem *manet in Charitate*, *manet in Deo*, *& Deus in eo*. Si igitur mentaliter concepta, vel pręſentata amici dilecti pręſentia amico diligenti parit ſolatium, quid nunc ſentio de tua intima in anima mea, & corpore meo pręſentia? hoc nempe ſentio, quòd ſerò cognoverim te, ſerò amaverim te.

24. Aut vera non datur inter duos amicitia, aut neceſſum eſt, ut ambo in affectionibus animi, & per mutua charitatis obſequa, & hęc pro poſſibili pręſtita

ſtita in opere, ſibi correſpondeant: & propterea, o mi Deus altiſſime, quem ego magìs amicum, quàm temetipſum agnoſcam? quidquid enim habeo, tu mihi dediſti; & hoc tuę erga me dilectioni non ſufficit, quia, ſi tibi pro paucis vitę mortalis diebus fideliter ſervio, ſi te ex toto corde diligo, tu ipſemet vis eſſe merces mea magna nimis, & dum peregrinor in terra, tu continuò viſitas me, quin imò nec ad momentum recedis à me; an deſiderabo majus verę amicitię teſtimonium?

25. Dixi, quòd, ubi vera datur amicitia, mutua dilectionis obſequia debeant concurrere; quę igitur ego tibi pręſtare potero? tu es Deus, ab ęterno habens infinitam beatitudinem, immenſam Majeſtatem, & gloriam: atque ideo tu bonorum meorum non eges, &, ſi ad conteſtandum meam erga te amicitiam dare quid poſſem, quid nam eſſet illud, quod poſſem tamquam meum dicere? omnia enim, quæ habeo, antecedenter tua ſunt, propter tuum ſupremum in omnia dominium. Proximo meo poſſum dare quidpiam, quod antecedenter tanquam ſuum non

poſſidet, & dando velut amicus comprobor; quæcunque autem tibi dedero, antecedenter tua jam ſunt, quoniam à te eſt omne bonum: & tamen, dum non do, niſi aliunde jam tua, tu dignaris intimam mecum fovere amicitiam. Ah hoc totum non poſſes facere, niſi eſſes Deus infiniti amoris.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XLVII.

26. DUM ego tibi Deo meo, & Domino meo in amicitiæ teſtimonium ex propriis viribus nullum opus, vel amoris obſequium præſtare valeo, tu mihi præſtas talia; de quibus nullus intellectus creatus cogitaſſet; ea proinde potuit infinita charitas, & ſola ſuggerere: pro me enim perdito de ſede Majeſtatis, & de throno gloriæ deſcendiſti, & factus es homo, ut me ab interitu redimeres, & tuæ hæreditatis æternæ faceres participem.

27. Tu Majeſtatem tuam exinaniſti, aut ſaltèm occultaſti, ut mihi, qui ſum vilis creatura, pulvis, & cinis, per omnia ſimilis fieres. Tu peccatorum meo-

meorum pondus ſuſcepiſti, & portaſti: & quia mihi erat impoſſibile, ut pro illis ſatisfacerem, Tu Deo Patri obtuliſti infiniti valoris pretium; fudiſti enim ſub paſſione amariſſima omnem pretioſiſſimum ſanguinem, & tandem in Crucis patibulo propriam poſuiſti animam, ut ego de æterna morte redemptus vitam æternam, & tuammet ipſius gloriam conſequerer. Hæc ſunt, de quibus intellectus creatus non cogitaſſet, potuit autem ea ſuggerere ſola infinita charitas.

28. Et quia charitas tua menſuram, aut modum non habet, hinc illa præſtitiſſe tibi non dum erat ſufficiens; per infinitam enim ſapientiam tale noviſti, & per tuam omnipotentiam paraſti amoris ſignum, quod profundiſſimè adorant omnes Angelici Spiritus: per triginta, & aliquot annos in terris viſus es, & cum hominibus converſatus es, ſub incomprehenſibili autem modo cum Eccleſia tua ſancta permanes uſque ad conſummationem ſæculi, occultatus nempe ſub ſpeciebus Euchariſticis. In tantum igitur amor amicitiæ in te ſe extendit, ut ſit impoſ-

ſibilis major extenſio. Quod autem feciſti Eccleſiæ tuæ ſanctæ, id totum cuilibet in dividuo, adeoque & mihi feciſti.

29. Te in terris eſſe viſum, & cum hominibus converſatum, poſſum credere, nullatenus autem capio: quòd verò tu æternus Deus factus homo in cor meum venire, & habitare digneris, & quidem toties, iſte amoris exceſſus meum imbecillem intellectum ampliùs tranſgreditur; quis enim es tu, & quis ſum ego? tu vivis propter Patrem, à quo habes eſſentiam cum increatarum perfectionum plenitudine: es proinde unus, idemque cum ipſo Deus; ipſe eſt totus in te, & tu totus in ipſo: nunc autem dicis, *qui manducat me, & ipſe vivet propter me*: te igitur intra cor meum ſuſcipiens tuæmetipſius vitæ fio particeps, quin & tu manes in me, & ego in te. Si ità, o utinam unum ſim tecum in vivendo, & operando, in patiendo, & amando!

30. Nunc primùm intelligo, quomodo tibi ſit in deſideriis, & deliciis, *eſſe cum filiis hominum*, dum nempe ſub ratione penitus incomprehenſibili di-

dignaris eſurientes, & pauperes pane Angelorum reficere, ſeu dum illis pro cibo, & potu das tuum pretioſiſſimum corpus, & ſanguinem: atque hoc deberem habere pro gratia longè maxima, ſi pro toto vitæ meæ decurſu ſemel duntaxat inæſtimabili hoc cibo, & potu reficerer: quid igitur nunc cogito, dum me tantæ gratiæ toties poſſum facere participem? aut neceſſum eſt, quòd cor in corpore non habeam; aut debeo diligere te ſolum, & ſuper omnia, quia toties te totum mihi dare dignaris.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XLVIII.

31. SIC dilexiſti me Deus, ut pro me exires de throno tuæ Majeſtatis, & reverti non velles, donec in throno Crucis eſſes exaltatus. Sic & modò diligis me, ut de die in diem exeas uſque ad thronum Altaris, ubi renovatur tremendum Sacrificium, quod in monte Calvariæ cum effuſione pretioſiſſimi ſanguinis Deo Patri pro ſalute mea, & omnium obtuliſti.

32. Abraham egrediebatur de do-

mo ſua, & de terra ſua, ſed ex tuo mandato: Joſeph exibat de regione ſua uſque in Ægyptum, ſed de fratrum ſuorum perfidia: David egrediebatur de regali ſuo palatio, ſed ex perſecutione Abſolonis ſuimet filii; tu æternus Deus factus homo per dies ſingulos uſque ad conſummationem ſæculi de throno gloriæ tuæ exis uſque ad Altare Sanctum; & nemo mandat, ſed ad hunc toties repetitum exitum te impellit tui infiniti amoris exceſſus, quid jam cogito? an non ego quotidie ſpiritu, & mente exire debeam de regione mea, ſeu hac lachrymarum valle, quin & de me ipſo, ut me immergam in abyſſum tui infiniti amoris?

33. Et eſto, quod exeam de me ipſo uſque ad amorem tui ſuper omnia, quid tamen eſt amor meus, dum tuum amorem contemplor? tuus amor eſt æternus, immenſus, & omnipotens: meus amor eſt temporalis, & infirmus; ſed ſit & iſtud, quòd haberem amorem ſupremis Seraphinis ſimilem, iſte tamen in comparatione tui amoris foret tamquam nihilum: tuus quippe amor, quo me diligis, de tua infinita bonitate oritur,

tur, & de corde tuo divino egreditur; amor, quo te diligo, eſt per tuammet, & ſolam gratiam, quia nihil habeo ex me ipſo, ſed omnia de tua plenitudine.

34. In te Deum tendens per cordis affectus, diligo illum, qui infinito amore dignus eſt, quoniam tu, & ſolus infinitam bonitatem, æternam pulchritudinem, verbo, plenitudinem perfectionum increatarum poſſides. Deinde diligo illum, qui maxima, & plurima beneficia mihi præſtitit: qui dilexit me taliter, ut non dubitaret pro me pretioſiſſimum fundere ſanguinem, & deinceps propriam in Cruce ponere animam. Sic me dilexiſti, quid autem vidiſti in me amore dignum? nihil penitus: quia, quàmdiu latebam in abyſſo nihili, non poteram quidpiam amore dignum facere; eſſe incipiens, non eram amore dignus, ſed odio, quia iræ filius: actualem verò vitæ meæ tenorem inſpiciens, quid ſentiam, an mea ingratitudo, & peccata bonis, ſed tepidè, & aridè factis operibus præponderent? quid igitur amore dignum in me vidiſti, vel actu vides?

35. Et tamen, cum eſſem iræ filius,

dilexiſti me: offendebam tuam divinam majeſtatem, & tu peccatum meum odio habens, dilexiſti perſonæ meæ individuum, recedebam à te, & errabam velut ovis, quæ periit: & tu quæſiſti me. Ad vocem tuam occludebam aures, & tu non ceſſabas ad cor meum loqui: vivebam tui immemor, & tu mei non es vel ad momentum oblitus: pergebam peccata peccatis addere, & tu non deſiſtebas eſſe pius, & miſericors Pater, præveniens per tuam gratiam, antequam ego cogitarem ad te reverti. Sic ò Deus, dilexiſti me hominem, imò me peccatorem, in quo non videbas quidpiam amore, multum verò odio dignum. Saxo, aut ferro cor meum debet eſſe ſimile, aut durius, ſi ex conſideratione harum veritatum ad amorem reciprocum ſe moveri non ſinat.

36. O Deus, ò æterna, & infinita charitas! tempus, quo te non dilexi, imò quo tuam divinam majeſtatem offendi, præteriit, & jam eſt irrevocabile; quis igitur dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die, ac nocte, quia vixi ingratus, quia non dilexi, quia peccavi: plo-

plorabo, quia tam rarò fui tui memor, dum tuita dilexiſti me, ut momentum abſquemei memoria abire non ſineres: plorans plorabo, ſed & ſaltèm impoſterum non ceſſabo te ex toto corde, & ex tota anima diligere.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XLIX.

37. VÆ mihi, ſi te Deum meum, & Dominum meum non diligam! perdo enim theſaurum, cujus jactura major eſt, quam univerſi mundi perditio. Unus actus, quo cognoſco te Deum, qui es prima, & æterna veritas, prævalet pretio ſcientiæ omnium rerum naturalium: unus actus, quo diligo te Deum, qui es infinita bonitas, & pulchritudo æterna, eſt æſtimabilior, quàm ſit univerſi mundi brevis, ſeu momentanea poſſeſſio; per hanc enim non poſſum impetrare remiſſionem unius duntaxat peccati, bene autem per unicum veri amoris actum multorum peccatorum remiſſionem conſequor, quia charitas operit peccatorum multitudinem.

38. Væ mihi, ſi te ſummum, & unicum bonum non diligam: unicus

enim veri amoris actus tantæ eſt efficaciæ, ut in eodem inſtanti, quo illum elicio, mihi remittatur æternæ pœnæ reatus: quin & ſecundùm intentionem dilectionis pœnæ temporalis remittitur; atque ideo Magdalenę pœnitenti, & intensè amanti multa dimiſiſti peccata, *quia dilexit multum*: *cui autem minùs dimittitur, minùs diligit*. Tam efficax eſt vera dilectio, ut inſtantanee faciat de inimico amicum, de ſervo peccati habitaculum Spiritus Sancti, de filio iræ,& indignationis adoptivumDei filium. Tam efficax eſt dilectio, ut non ſit in mundo malum, quod per eam non poſſit averti, non ſit ſpirituale bonum, quod per eam impetrari non valeat.

39. Væ mihi, ſi non diligam! dum enim unum amoris actum exerceo, mereor unum gradum gloriæ: alterum amoris actum repetens, alterum quoque gloriæ gradum mereor, & ſic ulteriùs. Væ igitur mihi, ſi non diligam! unus quippe gradus gloriæ eſt ęſtimabilior ipſo mundo cum omnibus ejus bonis, ſeu honoribus, & divitiis. Vę mihi, ſi nnn diligam, dum tot amoris actus per ſingulos dies, imò per horas ſin-

ſingulas poſſum elicere. Vę mihi, ſi non diligam, millenos enim, & millenos theſauros ſpirituales ſcienter, & voluntariè miſſos facio.

40. Diligam itaque ex omnibus viribus te Deum meum, & Dominum meum, te bonum verum, ſummum, & ęternum; atque ideo optarem unicè, ut te ità diligere poſſem, prout amari dignus es. Dum autem novi, quòd hoc implicet, ſuſcipe ſaltèm cordis mei deſideria, quoniam ardentiſſimè cupio, ut te omnis homo noſſet, ac diligeret.

41. Quia autem, qualis eſt arbor, tales ſunt fructus, hinc, ſicut ego ſum creatura infirmiſſima, ſic infirma eſt & mea dilectio; hanc proinde unio, & per ſingulos dies volo unitam eſſe cum amore omnium, qui in terris te Deum, & Dominum ferventiſſimè diligunt: & quia Cœleſtis Patriæ cives te intuentur facie ad faciem, ac propterea inceſſanter te amant, & perfectiſſimè, hinc in Spiritu me ſurſum elevans, meam dilectionem infirmam unio cum charitate illorum, quin & cum charitate Reginæ Sanctorum omnium. Atque ita confidam, quòd tu mi Deus, dilectionem

meam tenuem, aut ſaltem dilectionis deſiderium, intuitu charitatis, quam experiris in Cœlo, digneris reſpicere; quemadmodum apud nos mortales contingit, ut in magna pecuniæ ſumma quid modicum de moneta corrupta interveniat, perinde tamen valor totius ſummæ non minuitur.

42. Sit igitur: cùm unicè ad hunc finem ſim conditus, ut te Deum meum, & Dominum meum, te primum principium, ultimumque finem agnoſcam, & diligam, hinc, quod non feci hactenùs, non ceſſabo deinceps facere; amabo te, ſed, prout tu ipſemet dederis: ex meis enim viribus nihil ſum, & nihil valeo. Tuus eſt amor: ſi tu multum dederis mihi, multum amoris tibi reddam: ad hoc paratum eſt cor meum, imò cor tuum, vis, ut multùm diligam te? tu multum dare dignaberis: ego aliud non poſſum dicere, niſi quòd te ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus diligere cupiam.

43. *Dixi, nunc cœpi*: amabo te Deum meum, & Dominum meum, quapropter omnem inordinatum affectum erga quamcumque creaturam depono, & de

& de corde meo pro ſemper eliminatum eſſe volo. Amabo te, ſeu ex hoc nunc perenniter amo te, quia novi, tibi ſoli, & uni, utpote vero, ſummo, æternoque bono omnem amorem eſſe debitum. Amo te, modò pro paucis vitæ mortalis diebus ſub obſcuro, ſed tamen certiſſimo fidei lumine ambulans, ut te in æternum facie ad faciem intuens, cum omnibus Electis, & Regina Sanctorum omnium diligere valeam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM L.

De æternitate Dei.

1. APud nos mortales illud magni habetur, & ſuſpicitur, nec non annotatur in Annalibus, ut ad poſteritatem tranſeat, quod nempe pro ſui origine numerat aliquot ſæcula; familia enim talem ab antenatis generationum ſeriem valens adducere, præ aliis vult celebrari, & ſuſpici. Magne Deus, altiùs mentis meæ oculos elevans, video, quòd apud te non ſit aliquot ſæculorum ſeries, ſed integra æternitas.

2. Quid igitur eſt tua æternitas? quid

quid non ſit, novi; ſcio enim eam eſſe abſque initio, & abſque fine; ſcio tamen & iſtud, quod æternitas ſit tuamet divina, ſemper eadem, ſeu immutabilis eſſentia, quæ non habet initium, neque finem. Sed & hoc de tua æternitate aſſerens, quàm primùm deficio; ut verbum in mente non inveniam, & magis de ore loqui non poſſim.

3. Dediſti mihi, Domine virtutem imaginativam per hanc igitur concipio talem annorum ſeriem, quæ decies centena millia ſæculorum in ſe continet; & ita cogitans rem grandem in mente habeo: an ergo reſpectu tuæ æternitatis aliquid dixi? heu Domine Deus, ſi hanc ſæculorum ſeriem multiplicarem millies, & ampliùs, eſſet idem, ac ſi compararem aquæ guttam cum integro mari, vel cum hoc univerſo atomum.

4. Dixi, tuam æternitatem eſſe tale quid, pro quo explicando non invenio in mente verbum: & ideo, quaſcunque paritates vellem adducere, rem ipſam nullo modo exponerem: hoc tamen ſcio, quòd æternitas tua fidem non tranſgrediatur. Vota proinde mea in eo unicè ſunt, ut, quemadmodum in

tua æternitate non datur præteritum, non futurum, ità & anima mea, quæ jam in æternum non deſinet, ſemper eodem modo permaneat, imò de die in diem proficiat in bono, & charitate, ac deſiderio ad æternitatem beatam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LI.

5. O'Momentum, o æternitas! quid ſunt vitæ meæ dies, niſi modicum tempus, in quo unum inſtans poſt alterum elabitur? Similiter, dum in hac lachrymarum valle multæ tribulationes mihi occurrunt, una poſt alteram, & tandem omnes debent evaneſcere, quaſi nunquam fuiſſent. Et tamen hoc *momentaneum, & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*.

6. O Deus! o immenſa bonitas; quàm ſerò cognovi te, quàm ſerò amavi te! & dum te amare incipio, quàm infirmus eſt amor meus? iſtum enim comprobare debeò per opera: & hæc ubi, aut qualia ſunt? tu in æternitate tua infinitam habes beatitudinem, cui

ego

ego nihil poſſum addere, & tu ut me ad æternitatem tuam trasferres, pro tempore veniſti in mundum; & hic tanta feciſti, tantaque toleraſti: quid jam ego, qui in mundo ſum, & non niſi pro modiciſſimo tempore, facio, ut ad tuam æternitatem perveniam?

7. Ità eſt, ad hanc pertingere ardenter cupio: ſed, o æterne Deus, quomodo æternitatem tuam ingrediar, niſi tu me, infirmum per omnia, fortiter trahas; quomodo in charitate perfecta, & perpetua te diligam, niſi tu in me extinguas amorem ſæculi, & omnium, quæ mundus habet? quomodo tuæ æternitatis in omnibus viis meis meminero, niſi tu æternas veritates intellectui meo imprimas; & profundè in corde meo radices?

8. Ah quando veniet inſtans illud beatum, quo tuam æternitatem ingrediar, & tecum conjungar dulciſſimo perpetuæ charitatis vinculo! cupio quidem, te jam hìc pro omni die, pro omni hora, & momento diligere, ſed a dextris, & a ſiniſtris a ſalutis meæ inimicis circumdor, & ideo verſor inter pericula, nè a charitate recedam, in tua au-

autem beata æternitate nunquam recedere potero. Quare, quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te Deus.

Ave Maria
SOLILOQUIUM LII.

9. IBO, ſed non ſcio, quando, in domum æternitatis meæ, quæ erit in æternum aut beata, aut miſera: hìc non detur medium. Si irem (o Deus averte!) in domum æternitatis miſeræ, eſſem miſer non in partem, ſed in totum, ſeu ſecundùm corpus, & animam: in hac nempe, & illo extrema paterer, neque vel in minimo gradu foret dolorum alleviatio; & hoc in æternum.

10. O tremenda de infelici æternitate cogitatio! quid autem erit ipſamet infelix æternitas? in hac non datur ſcientia, niſi quòd omnium miſeriarum, & tormentorum nullus ſit finis, ubi tamen tam citò omnia tranſierunt, quæ fuerunt in mundo. O momentum temporis: o infelix æternitas!

11. At verò ſi introeam in æternitatem tuam Domine, prout indubitanter

ter confido, futurum eſſe per tuam infinitam miſericordiam, quid tunc erit? inſtantaneè, non in partem, ſed in totum poſſidebo tuammet beatitudinem: & quomodo futurum ſit iſtud non capio, ut nempe in inſtanti totam, & tantam beatitudinem poſſideam, & hæc in æternum eadem permaneat. Dum igitur ego non capio hoc myſterium, o utinam tua æternitas me tam citius caperet!

12. In hoc mundo ſi quid dici poſſet vera felicitas, hæc nunquam eſt adæquatè præſens; in partem enim præteriit, & in partem de futuro habet; tua autem o Deus beata æternitas ſimul continet omnia, & talia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec ea deſcenderunt in cor hominis: & quoad hæc non datur futurum, cum omnia in ſtatu feliciſſimo invariabiliter ſimul actu permaneant: o beata æternitas!

13. Si tu Altiſſimus in ordine ad gloriam æternaliter in ſtatu perfecto permanentem a me deſiderares, ut per centum, aut mille annos ſub omni, quæ excogitari poteſt, auſteritate viverem, in ordine ad tantam gloriam, id to-

totum foret adhuc res modica; nunc autem nihil aliud poſtulas, niſi ut pro paucis vitæ diebus tibi ritè ſerviam, mandata tua, non gravia, fideliter ſervem, & te, utpote bonum ſuper omne bonum ex toto corde, & ex tota anima diligam: & per hæc es contentus, ut digneris me ad tuammet beatam æternitatem, tantamque gloriam admittere. Domine Deus, ſuper quo nunc amplius mirari debeo? an ſuper tua immenſa bonitate, an verò ſuper mea ſocordia, & deſiderio tam tepido, ut tuæ æternitatis, & beatitudinis fiam particeps.

AVE MARIA.

SOLILOQUIUM LIII.

14. JOB, vir ſecundum cor tuum, per aliquot annos multa, & magna paſſus eſt in animo, & corpore: ſi tu Deus, qui juſtus es, & ſanctus in omnibus operibus tuis, ſimilem paſſionem a me exigeres, idque non tantum pro ſeptem, ſed centum, imò pro mille annis, hujuſmodi paſſio ex omnium mortalium judicio foret magna, imò maxima: & tamen, ſi tu pro hujus compenſatione determinares diem unicam, imò

imò horam unicam, dico ampliùs, inſtans unicum, quo poſſem te intueri facie ad faciem, eandem paſſionem, non tantùm æqualiter, ſed ad exceſſum compenſares. Quid nunc cogito? non ad unicum inſtans, non ad horam, non ad diem, ſed in æternum dignaris faciem tuam oſtendere, neque deſideras paſſionem per tot annos continuatam, quia tibi, qui pius, & miſericors es, ſufficit, ſi paucas, & breves tribulationes ſuperem, quid jam cogito?

15. Et quomodo iſtud eſt poſſibile, ut tu paſſionem centum, & mille annorum, nedum æqualiter, ſed ad exceſſum compenſares, ſi te pro unico duntaxat inſtanti poſſem intueri facie ad faciem? parce mi Deus, dùm hæc in exceſſu meo dixi; intellectus enim non vult, & neque poteſt capere, quomodo paſſio mille annorum, & unicum inſtans, quo te facie ad faciem intueor, ſibi correſpondeant; per ſidem tamen rei veritatem intelligo: tu enim es bonum infinitum, continens omne bonum, paſſio autem, qualitercunque intenſa, & quamdiucunque continuata. eſt quid finitum: & iſtud ad bonum infinitum

pro-

proportionem non habet. Quid iterum cogito? mundus pro ſuis bonis, honoribus, & divitiis verbo, pro rebus nihili, niſi ad te ultimò referantur omnia, multos labores, curas, & ſolicitudines poſtulat: & quamdiu poſſidentur, quæ a mundo dantur? tu autem Deus non jam deſideras laborem, & paſſionem multorum annorum, quia contentus es, dum pro modico tempore, quo vivo ſuper terram, mandata fideliter cuſtodio, & te diligo: pro retributione verò das bonum infinitum, non ad inſtans, non ad horam, non ad diem, ſed in æternum permanens: quid igitur ad hæc cogito?

16. O beata æternitas! aperi oculos meos, ut hanc ponderoſiſſimam veritatem meliùs intelligam, quin & per dies ſingulos, ſaltem pro modico temporis ſpatio in corde meo recogitem; quid enim pro animæ meæ bono, & ſalute utilius eſſe poſſet, quàm annos æternos ſerio perpendere? quin imò iſtos jam actu mecum circumfero; habeo animam, & hæc, utpote immortalis, in æternum non deſinet: credo reſurrectionem mortuorum, & tunc etiam corpus

pus meum immortalitate dotabitur; & propterea, dum dexteram meam,, vel ſiniſtram aſpicio, ſufficit dicere, *ecce hæc manus in æternum durabit*. Atque hoc de die in diem faciens, tuæ o Deus beatæ æternitatis meliùs ero memor.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LIV.

17. AH quàm vilis, & ſordida eſt terra in oculis meis, dum Cœlum aſpicient beatam æternitatem contemplor! terra enim habet argentum, & aurum, pretioſoſque lapides, ſeu quæcunque demum æſtimabilia coram oculis filiorum hujus ſæculi; ea autem omnia ſicut de terra, utpote matre omnium, habent originem, ſic in eam denuo revertuntur, & deſinunt, quaſi nunquam fuiſſent, quantumvis interea ſine innumeri homines, qui terræ partus plurimum diligunt, induſtriosè quærunt, ſub omni cura conſervant, & tandem cum dolore dimittunt, ſeu per mortem compelluntur dimittere.

18. Æterne Deus, quàm longe aliter comparata ſunt bona, quæ paraſti dili-

diligentibus te? illis enim, ſicut de terra non habent originem, ſic non poteſt poni pretium, & quia tu ea feciſti pro immortalibus Electorum gaudiis, hinc in æternum promanent. In mundo voluptates quæcunque, aut delectamenta ſenſuum, pro fine univerſaliter trahunt amaritudinem? & afflictionem animi; ſit enim rex, ſit princeps, etiam de Eccleſia tua ſancta, & habeat omnia ſecundùm cordis ſui deſiderium, quando hora venit, ut debeat illa dimittere, tantò magis affligitur, quo ampliùs bona mundi dilexerat. Et tamen pro iſtis, nempe vanitatibus, quanti impenduntur labores, quantæ vigiliæ, quantæ ſolicitudines? in fine autem amaritudo, & afflictio ſpiritus ſunt inevitabilia.

19. In cœlo autem, ſuppoſitò, quòd contemnam, & dimittam ea, quæ ſemel, velim, nolim, debeo, & pro ſemper dimittere, quaſi pro me nunquam fuiſſent, in Cœlo, inquam, eſt bonorum virorum, gaudiorumque poſſeſſio, & ità; ut ſimul omnia habeam, & omnia ſimul in æternum permaneant. Magna eſt Cœlum iuter, & terram diſtantia, ma-

magis autem diſtant bona, & gaudia mundi a bonis, & gaudiis cœleſtibus.

20. Quòcunque me verbo, vix amplius invenio ſinceritatem, & animorum concordiam, fraudes fallaciæ, & mendacia inundaverunt; in tuo autem regno, o Altiſſime, inter omnes eſt cor unum, & anima, quod vult unus, volunt ſinguli, quia omnium voluntas eſt tuamet voluntas. O terra! o cœlum! o æternitas! quantum diſtatis ab invicem? & tamen terra, ſeu terreſtria bona, nempe vanitates, inordinatè diliguntur, & immoderatè quæruntur a potiſſima parte mortalium; tu autem, Cœlum! tu æternitas in oblivione relinquimini. Non tamen impoſterum tui, o Cœlum, tui o æternitas! ego vivam immemor, & tantò magis, quia in æternitate omni momento eſſe poſſum, cùm non niſi uno paſſu diſtem a morte. O Cœlum, o æternitas! duo tantum verba, ſed quantam parantia cogitandi materiam?

Digitized by Google

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LV.

De Divina Omnipotentia.

1. QUalis eſt objecti cognitio, taliter iſtud æſtimatur, & diligitur; ſi noſſem meliùs te Deum, & Dominum meum, te ampliùs æſtimarem, ac diligerem. Quænam autem erit via facilior, ut noſſe te poſſim? hæc nempe, ſi perfectionum tuarum attentiùs, & ſæpius meminiſſe ſtuduero; inter eas verò vel maximè eſt tua omnipotentia, quoniam hæc ſtat non tantùm ante mentis, ſed etiam corporis oculos; per ea enim, quæ facta ſunt, ſempiterna virtus, & divinitas neceſſariò cognoſcitur.

2. Tu creaſti Cælum, & terram: ex qua materia? ex inani nihilo; creare autem eſt operari, & ad iſtud debet aliquod inſtrumentum concurrere: quale igitur tu adhibuiſti? nullum aliud, niſi verbum unicum, quantum pro creatione hujus univerſi impendiſti ſpatium temporis? tale, quod pro dicendo *fiat* erat ſufficiens, dixiſti enim, & facta

 ſunt,

ſunt, mandaſti, & creata ſunt omnia.

3. Ulteriùs de tua omnipotentia cogitans video, quòd invirtute ejuſdem verbi, & in momento temporis novum poſſis creare mundum, & taliter, ut iſte mundum actu creatum in amplitudine, & multitudine rerum centies ſuperet. Sed creatio alterius mundi tuam omnipotentiam nondum exhaurit: potes enim ſub ratione à me dicta centum, aut mille, vel millies mille mundos condere, perinde tamen tuum brachium omnipotens non infirmabitur, nè ulteriùs in via creationis ſe extendere valeat:infirmor autem ego quoad imaginativam potentiam, ut per hanc eo venire non poſſim, quo ſe extendit tua omnipotentia.

4. Magne Deus! quotidie repeto, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, quàm parum aute agnoſco, & æſtimo tuam omnipotentiam? videbam inſigne ædificium, ſacroſanctam nempe Eccleſiam divi Petri in urbium Urbe, & quo amplius illam intuebar, eo major in me excitabatur admiratio, cùm non caperem, quomodo per artem humanam tale

tale ædificium, ſeu mundi miraculum potuerit perfici; intellectus verò dictabat, quòd millenæ, ac millenæ manus, & quidem per longam annorum ſeriem concurrerint. Jam autem per dies ſingulos video aliquid incomparabiliter majus, & non miror, non magnifico tuum brachium omnipotens: video nempe hoc univerſum, quod tu tam cito, quia in momento temporis, & tam faciliter, quia per unum duntaxat verbum feciſti: ſic nempe miror ſuper operibus, quæ ſunt de manibus hominum, & in oblivione manent tam magna ſigna tuæ omnipotentiæ. Splendorem coram mundo facientia deſiderium excitant, ut horum author noſcatur. Video Cœlum, & terram, confiteor, eſſe digitorum opera, & tamen quam modium eſt in corde meo deſiderium ut te facie ad faciem intuear? atque ideo quàm languida in me fides eſt, dum quotidie, & ſæpius te adoro *Deum Patrem omnipotentem, Creatorem Cœli, & terræ*; veritatem ore dico, corde autem non recogito tam grandia manuum tuarum opera.

Ave Maria

SOLILOQUIUM LVI.

5. Tibi Deo omnipotenti eſt faciliimum, ut hoc momento novum, vel plures mundos de nihilo crees: ſed tamen ex iſto, quem actu feciſti, quantùm ſplendeſcit tua omnipotentia? oculos meos in altum elevans video ſolem, qui centies quadrageſies, vel omnino, prout multi exiſtimant, ſexageſies ſexies major eſt orbe terrarum: video firmamenti lumina, ſeu ſtellas, quarum numerum non novi; illarum vero minima trigeſies novies orbe terrarum eſt major; alię eum quadrageſies, alię quinquageſies, alię ſeptuageſies, alię nonageſies, alię demum centies in maguitudine ſuperant. Magne Deus! quantam jam ipſummet firmamentum habebit amplitudinem? quid erit Cœlum Empyreum? an contra veritatem loquerer, aſſerendo, qualiter, ſi illud divideretur in regna diſtincta, ſingulis electis tale regnum poſſet attribui, quod hunc orbem terrarum in amplitudine excederet?

6. O

6. O grandis cœcitas mortalium! quanti labores, & ſudores hìc impenduntur pro pugillo terrę? quanta geruntur bella, quanta fit profuſio Chriſtiani Sanguinis, pro acquirendo nimirum hoc, aut illo regno terreſtri? &, quamquam rex quiſpiam ſuum intentum ſit aſſecutus, perinde tamen nec dum habet univerſi mundi Dominum; eſto autem, quòd tunc totum poſſideat, inter millenas nempe ſolicitudines, & pericula, quid tum? totus orbis terrarum reſpectu Cœli, quod eſt ſedes tua, ò Altiſſime! non niſi punctum dici meretur. O Cœcitas! modò enim nemo eſt de mortalibus, qui pro obtinendo univerſi mundi dominio ſe moveat, aut ſaltèm de eo cogitet: ſunt autem, & quidem de tuis ſidelibus abſque numero, qui pro modica mundi ſubſtantia, pro, re nihili omnes vires impendunt, & multa, magnaque tolerant; interea vero regni Cœleſtis, & æterni vivunt immemores.

7. Clementiſſime Deus! per tuam omnipotentiam mihi paraſti regnum immortalem, immenſiſque repletum gaudiis: &, ut iſtud aſſequar, non eſt

neceſſum, bellum diuturnum, & ſanguinolentum gerere, qualiter hìc in mundo contingit pro regno mortali, atque ideo innumeris ſubjecto diſcriminibus; requiritur tamen, ut pro tuo regno vim, ſed ſuavem, mihi faciam, mandata tua ſancta fideliter ſervem, teque, ſummum & unicum bonum diligam ex toto corde, ex tota anima, & in omnî fortitudine: ac inſuper ut patienter feram Crucem, quam mihi impoſuiſti. Hæc ſunt, quæ à me deſideras: & hæc pro regno Cæleſti, & æternon ſint nimia?

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LVII.

8. TUam, Pater, Domine Cœli, & terræ, omnipotentiam ut plurimùm in quatuor elementis agnoſco: ſed adhuc magis poſſum illam in memetipſo apprehendere; quid enim eſt corpus humanum, niſi incomprehenſibile opus tui omnipotentis brachii? quis intellectus capere valeat tam admirandam tum ad extrà, tum ad intrà compoſitione humani corporis? excellentius

tius autem opus eſt ipſamet anima, quam ad tuam creaſti imaginem.

9. Unam, vel alteram aulam pertranſiens, vidi gemmam aut pretioſum lapidem; & dicebatur, *hunc, uti, & illam conſtare pretio, pro quo valor decies mille aureorum non eſt ſufficiens*: ad hæc autem in corde meo dicebam: *ſed hæc gemma*: vel *lapis iſte pretioſus non eſt viva Dei imago*, pro hac enim, ſeu anima, ad tuam, ò Deus, creata imaginem non licet conferre univerſi mundi pretium: tu verò eam ab intrinſeco æſtimare noſti, quia pro anima à peccato mundanda, & ab interitu redimenda feciſti illud, quod ex impulſu ſolius infiniti amoris potuit contingere.

10. Sic, æterne Deus, meam æſtimaſti, & dilexiſti animam; ego autem, proh dolor! eam parum hactenus æſtimavi, & raro fui memor, quo, nempe incomparabili pretio animam meam redemeris; inter hanc enim, & omnes mundi theſauros nulla poteſt fieri comparatio. O igitur, ſi ſaltem impoſterum pro tam grandi tuæ omnipotentię opere, ſeu pro anima mea ità eſſem ſollicitus, qualiter mundus ſuos ęſti-

mat, & cuſtodit theſauros, qui tamen non ſerviunt ad aliud, niſi ut pro momento temporis oculos paſcant, quàm longè aliter, & quidem quaſi inſtantaneè in via Chriſtianę perfectionis proficerem!

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LVIII.

11. ORitur Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur, idque per tot jam ſęcula, omnia flumina intrant in mare, & iſtud non redundat: atque rurſus per tot mille annos, omnia elementa uniformiter agunt ſecundum virtutem, vel inclinationem, prout à te Deo factor omnium, creata fuerunt: & iterum pro tanto temporis ſpatio, ſive igitur oculos meos ſurſum elevem, ſive convertam ſuper faciem terrę, aut ad maria, video, quòd creaturę, etiam rationis uſu, & vita carentes, te benedicant, & laudent, quia continuò, & uniformiter operantur, prout eas feciſti.

12. Magne Deus, punctum rurſus habeo, ex quo quantùm in conſpectu tuo confundor? nulla creatura iu firma-

mamento, nulla in aere, nulla in terris, vel aquis, utut ſit abſque rationis uſu, & vita, tuę voluntati reſiſtit, benedicunt autem, & laudant te ſingulę; aſt voluntas mea; ingratumque cor meum, toties tuę omnipotentię fecit quaſi reſiſtentiam; tu me pręveniebas gratia tua (quę omnipotens eſt, quoniam cum hac poſſum omnia, dummodo ipſemet seriò velim cooperari) ego autem non acquievi pręvenienti, & ad bonum excitanti gratię, ſed fui ſecutus ſuggeſtiones dęmonis, falſa mundi principia, & naturę corruptę dictamen.

13. Sentiebam, & ſępius interiorem inſtinctum divinę tuę gratię, qua excitabar, ut hanc, vel illam qaſſionem, aut indinationem ad malum, tempeſtivè ſupprimerem, ut ſeriò me impenderem pro hac, aut illa virtute: ut ab hac, vel illa occaſione, converſatione, ſocietate &c. alienus viverem; ſed gratię tuę, ad hęc bona me excitanti, & trahenti e opponebat amor proprius, & propterea non operabar bonum, quod agnoſcebam; acquievi autem malo, cui obſiſtebat gratia, quam continuò mihi dediſti. Quid jam eſt reliquum,

quum, niſi ut dolenter confitear, quòd, dum omnes creaturę te Deum factorem Cœli, & terrę benedicunt, & laudant; tuam nempe exequentes voluntatem, cor meum ingratum tibi, ſeu tuę gratię toties reſiſtentiam fecerit; abſit autem, ut impoſterum id faciam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LIX.

De Infinitate Dei.

1. MAgnus es Domine, & magnitudinis tuę non eſt finis; recogitans, quid ſit humana perfectio, non habeo objectum, quod intellectum meum tranſcenderet: dum autem altiùs elevo mentis meę oculos, ut intelligam, quid ſit una de tuis perfectionibus, quàm primùm debeo iſtud formare judicium: *ſi homines, quotquot mundus vidit, aut adhuc videbit, ſimul exiſterent, ſinguli habentes parem cum Salomone Sapientiam, ſeque impenderent pro cognoſcenda una perfectione, v. g. omnipotentia, omne tentamen; eſſet fruſtraneum*. Sed quid cum ejuſmodi cogitationibus? paucis dico totum

tum ſi omnes, quotquot te intuentur, & intuebuntur facie ad faciem, per totam ęternitatem ſe impenderent, ut comprehenderent tuam omnipotentiam omnis conatus ad hunc finem eſſet inutilis.

2. Æterne Deus, quid modo dicam, imò quid cogitem, neſcio; talem enim conceptum, quem habeo de una ex tuis perfectionibus, formant cuncti cœlites, & tantò magis, quia te intuentur facie ad faciem: quid igitur modò cogitem? qualem enim infinitatem una perfectio in te habet, talem habet altera; jam autem tu non unam, & alteram perfectionem, ſed plenitudinem perfectionum increatarum poſſides. Et quia hanc de te habeo fidem, quanta eſt cęcitas mea, dum te ampliùs non cognoſco, & ardentiùs non diligo? video hominem doctum, probum, & juſtum, ſeu penes ſcientiam multis prȩditum virtutibus: & hunc ęſtimo, neque abſque cauſa; in te pro inſtanti, quo me reflecto ad fidem, agnoſco, & adoro tot, tantaſque perfectiones, harum tamen rarò ſum memor; habeo autem multas de

die in diem, imò de hora in horam, cogitationes de imperfectionibus, ſeu vanitatibus hujus ſęculi: de his loquor, ſuper iſtis delector, & de te ſileo. Cur ità? quia non ſtudeo debitam de te ęſtimationem fovere. Credo, te eſſe Deum creatorem Cœli, & terrę, ſed corde non recogito, quis, & quantus tu ſis: Adauge itaque in me fidem, & ego tui ampliùs in omnibus viis meis ero memor, te plus ęſtimabo, & diligam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LX.

3. APud nos mortales contingit, ut unus prę aliis emineat in hac ſcientia, alter in iſta virtute prę aliis ſit commendabilior; nemo tamen eſt de omnibus qui quamcumque ſcientiam ſingulaſque virtutes in gradu perfectiſſimo poſſideat. Deus altiſſime! ſi in nullo de puris hominibus omnes ſcientiæ, & ſingulæ perfectiones creatæ ſunt invenibiles, & tu poſſides perfectionum increatarum plenitudinem, quis es tu, & quis eſt homo?

4. Parce Domine, dum ad ampliùs mani-

manifeſtandum tuam gloriam in ſimplicitate mea per impoſſibile loquor; ecce plenitudo, ſeu infinitas increatarum perfectionum in te tot harum nuntiat, ut ſi iſtæ, qualiter poſſibile eſt quoad perfectiones creatas, poſſent dividi, & unicuique homini, ac ſimiliter cuique de angelicis ſpiritibus diſtincta appropriaretur divina perfectio, in te adhuc infinitæ perfectiones eſſent reliquę. Excelſus igitur, infinitus, incomprehenſibilis, & immenſus es tu Altiſſimus.

5. Numerus hominum, qui ab Adamo fuerunt uſque ad conſumationem ſęculi, actu tibi Domine, & ſoli, eſt cognitus; incomparabiliter autem major eſt numerus beatorum Cœli Spirituum, qui novem Choros conficiunt: & horum infimus: (iterum in ſimplicitate mea loquor:) plura continet individua, quàm ſint homines: pro illis enim numerandis debeo *milliones* tamquam *unitates* aſſumere: Chorus immediatè ſuperior, ſeu ſecundus eſt primo duodecies numeroſior: & ſic aſcendendo de choro ad chorum. Si ità, heu Domine Deus omnipotens, quantus beatorum ſpirituum exercitus ſtat coram

ram te ſemper, una voce dicens, *Sanctus, Sanctus, Sanctus?*

6. Et tamen, ſi eſſet poſſibile, ut fieret perfectionum tuarum increatarum diviſio, ac ſingulis hominum, angelorùmque una perfectio daretur, apud te adhuc infinitæ perfectiones manerent. O Deus altiſſime, quis es tu, & quis ſum ego? ſum nempe pulvi, & cinis, ſum in conſpectu tuo tamquam nihilum; an igitur adhuc gloriari, præterquam in infirmitatibus meis præſumam? an cupiam ab hominibus tamquam aliquid haberi, & ſuſpici: dum nullam perfectionem poſſideo, abundo autem imperfectionibus? abſint à me hæc omnia, tibi verò in omnibus dabo honorem, & gloriam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXI.

De Pulchritudine Dei.

1. QUO' pulchrior eſt res aliqua, eo majorem habet efficaciam, ut in intellectu humano admirationem excitet, cor verò ad amorem com-

commoveat: quin imò pulchritudo cordi humano dominatur, & quaſi compellit ad amandum; repugnat enim naturæ humanæ, videre pulchritudinem, & hanc poſſe non diligi. Qualiter proinde à magnete ferrum trahitur, taliter, quin & fortiùs pulchritudo ad amorem impellit.

2. O Deus, ò pulchritudo æterna, quàm ſerò cognovi te, quàm ſerò amavi te, quantum me pœnitet, quia te meliùs cognoſcere non ſtudui? ah ſi ſaltèm ex iſto inſtanti ſecundùm meam obligationem eſſem ſollicitus, ut te noſſem! ex hoc enim non poſſem te non diligere. Tu quidem mihi mandatum dediſti, ut te ex toto corde, ex tota anima, & in omni fortitudine diligam, ſi autem meliorem haberem notitiam tuæ infinitæ pulchritudinis, nullò modo eſſet neceſſum, me ſub ſpeciali præcepto ad te diligendum adſtringere: niſi ut actus amoris perinde fieret magis meritorius; quoniam cor meum ex intuitu temporaneæ pulchritudinis ſecundùm naturalem impulſum: (non ex dictamine fidei, utpote docentis, quòd omnia extra te ſint vanitas:) ad amorem

rem movetur, & trahitur: ſi, inquam; vivacior mihi eſſet notitia tuæ infinitæ pulchritudinis, cor meum im amore longe aliter proficeret, ex quo & oculi mei non vellent vanitates, aut quæcunque objecta tibi non placita aſpicere.

3. O quàm fallax eſt omnis vana pulchritudo, inquocunque conſiſtat! hodie recreat oculos, cras ad horrorem commovet: hodie commendatur, & extollitur, cras eſt ad averſionem, & odium; ſufficit enim, ut mors larvam detrahat, & apparebit monſtro ſimile, quod paulo ante erat in amoribus: & tamen vana pulchritudo dominatur cordibus hominum: o momentanea vanitas! ſalutariter itaque operabor, ſi à vana pulchritudine avertam oculos, cordiſque deſideria, & convertam ad te Deum, æternam pulchritudinem? ſpem enim firmiſſimam concepi, & teneo, fore per tuam infinitam miſericordiam, ut te in æternum facie ad faciem intuear; quapropter deinceps erunt mea vota, & preces, *oſtende mihi faciem tuam: vox tua ſonet in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

Ave Maria

SOLILOQUIUM LXII.

4. DUlce, & amænum eſt oculis videre ſplendentis auri, vel gemmæ pulchritudinem: pergratum eſt circumſpicere hortum, qui exornatur plurimis diverſi generis floribus; amplius recreantur oculi, firmamentum nempe intuentes, dum vident tot ſplendentia in eo lomina, ſtellas nimirum, quæ ſicut ſingulariter magnificant tuam, Domine Deus, omnipotentiam, ſic mirum in modum lætificant intuentium oculos. Aſt cùm luminare majus, ſeu ſol, ſit manuum tuarum opus admirabile, hinc nihil præ iſtius aſpectu poteſt eſſe gratius homini, qui novit, & adorat te conditorem, horum omnium. Quid ſi igitur pulchritudo ex auro, gemmis, floribus, ſtellis, & ſole reſultans, adunaretur, quis oculus poſſet iſtam videre, vel quis intellectus capere?

5. Dico ampliùs, ad ea nimirum, quæ tibi Altiſſimo omni inſtanti ſunt poſſibilia, me referens; tu quippe in vir-

virtute unius verbi, & in momento temporis potes condere centum, aut mille mundos, ità ut unus ſit continuò pulchrior, aut perfectior altero. Si igitur horum omnium perfectio, vel pulchritudo in unum conferentur, quiſde mortalibus, vel etiam de ſpiritibus angelicis eam ſufficienter comprehenderet? & tamen, ò Deus, ò pulchritudo æterna, quidquid pulchri in actu factis, vel poſſibilibus mente concipiam, coram te non poteſt dici tale quid, quod eſt ignis ſcintilla reſpectu ſolis, aut gutta aquæ reſpectu oceani; quia omnis pulchritudo creata, aut creabilis habet limites: ſinè his autem eſt tuu pulchritudo æterna.

6. Heu quanta eſt mea cæcitas! video pulchritudinem in creaturis, & has propterea diligo: video pulchritudinem in ſtellis, ac ſolo: & intellectus meus in admirationem rapitur; in te autem Deo meo confiteor eſſe pulchritudinem increatam, infinitam, ac æternam, & cor meum manet quaſi abſque motu, ut propter eam te intenſiùs diligeret. Sed non ità impoſterum: te enim ex pleno cordis affectu, & ex to-

ta

ta anima, ac in omni fortitudine diligam; mundus verò ſuam habeat pulchritudinem, quám mors penitus deſtruit, imò & leve eccidens poteſt corrumpere.

A v e M a r i a

SOLILOQUIUM LXIII.

7. ENS ſecundùm naturam pulchrum eſt rationalis anima, quam tu Deus ad imaginem tuam feciſti: pulchrior autem eſt ſecundùm gratiam, ſub qua tua amicitia fruitur; pulcherrima verò eſt, quando lumine gloriæ circumdata te intuetur facie, ad faciem; tunc enim tantum ſplendorem emittit, ut, ſi viſibiliter appareret mihi, arbitrarer (niſi fides quantocius ſuccurreret) me videre tuammet majeſtatem divinam.

8. Sit igitur una anima, utpote dotata lumine gloriæ, tantum habet ſplendorem, & pulchritudinem, quid erit, dum ità glorificatarum animarum apud te, ò Altiſſime, talis eſt numerus, quem nemo dinumerare poteſt, & dum ſingulæ fulgent quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates? ità autem quaſi

ſtellæ

ſtellæ fulgent, ut ſplendor uniuſcujuſque beatæ animæ ſit major claritate ſolis actu creati, & quia fulgor ille talis eſt, hinc, ſi tu Deus novum, aut plures mundos conderes, ex naturalibus non poſſem ullam ſimilitudinem adducere, ex qua pulchritndo conſtaret, quam habet anima quæ, lumine glorię exornata, te intuetur facie ad faciem. Hęc igitur eſt pulchritudo immortalis animę ſecundùm naturam, ſecundùm gratiam, & maxime ſecundùm gloriam.

9. O Deus, quid nunc cogito? ſcio enim, tibi omnia eſſe poſſibilia: & ideo potes novum, centum, & mille Cœlos condere, hoſque replere animabus glorię lumine prędìtis, & ità, ut de Cœlo ad Cœlum fiat in duplum animarum beatarum multiplicatio. Si igitur harum pulchritudo in unum ſumeretur, qualis, & quanta hęc foret? an ad tuam pulchritudinem, quam ab ęterno poſſides, poſſem comparationem facere? parce mi Deus, dum rurſus in mea ſimplicitate loquor; objectum illud, quantumvìs humanitus incomprehenſibile, quod mente concipio, non

eſſet

eſſet niſi ſcintilla reſpectu ſolis, vel atomus reſpectu hujus univerſi ; omnis enim pulchritudo ſireata, aut creabilis habet limites ; tua autem pulchritudo eſt ęterna, infinita, & immenſa. Et de hac veritate tantam habeo certitudinem, qualiter novi, te eſſe Deum: & tamen (heu! quam cęce, quam imprudenter operor !) dum veritatem hanc ponderoſiſſimam credo, tam modicum, aut quaſi nullum in corde meo ſentio deſiderium, ut tuam ęternam pulchritudinem tantò citius intueor! ò cęcitas! & unde hęc! quia habeo, ſed non niſi languidam, fidem.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXIV.

10. QUantùm, ò Altiſſime, tuam magnificaſti omnipotentiam, dum creaſti intellectuales ſubſtantias, ſeu angelicos ſpiritus? hi enim de natura ſua tantam poſſident pulchritudinem, quam nullus mortalium poteſt ſufficienter exprimere. Jam autem ſunt novem chori, & in his tot individua, ut infimi chori numerus tranſcen-

ſcendat multitudinem hominum, qui ab Adamo fuerunt, & erunt uſque ad conſummationem ſæculi. Chorus vero immediate ſuperior infimo, hunc in multitudine individuorum duodecies ſuperat: & ſic loquendo de choro ad chorum. Penes hæc puto, me veritatem dicere, aſſerens, quòd ab angelo infimo uſque ad ſupremum detur aſcenſus quoad pulchritudinem, quia ex hoc ipſo capite voluiſti magis glorificare tuum brachium omnipotens. Si igitur res ità ſe habet quoad tot angelicos ſpiritus, quid ultrè loquor, neſcio; ſpero autem, fore, ut videam illorum pulchritudinem, & per hanc magis laudem tuam omnipotentiam.

11. Tibi Deo omnipotenti eſt facillimum, ut omni momento facias, quæcunque volueris: mihi, qui ex me ipſo nihil poſſum, facile, ſed & gaudioſum eſt cogitare de poſſibilibus; altiùs igitur per meas cogitationes aſcendo. Ecce novem Angelorum choros actu feciſti: ſi vis potes alios novem, quin centies, aut millies &c. novem choros condere, & ità, ut infimus de angelis poſſibilibus actu ſupremum tran-

tranſcendat in pulchritudine, & gloria: potes item angelum immediatè ſuperiorem infimo de poſſibilibus facere ità glorioſum, & pulchrum, ut reſpectu ejuſdem infimi ſe taliter habeat, qualiter actu ſupremus ex utroque capite ſuper actu infimum eminet. Et quod loquor de tertio, de quarto angelo, idque de choro infimo uſque ad ſupremum: en hæ ſunt meæ cogitationes, & has tu potes ad effectum deducere. Et ſi hoc totum faceres, quanta foret pulchritudo in tot angelis? an per eam ſimul ſumptam daretur comparatio ad tuam pulchritudinem? parce, dum rurſus in ſimplicitate mea quæſtionem moveo; priùs enim diem comparabo cum nocte, & lucem cum tenebris.

12. Tua Domine Deus pulchritudo eſt æterna, infinita, & immenſa, atque ideo tuummet intellectum divinum ſubinfinitè dulci neceſſitate compellit, ut in ea indeſinenter contemplanda ſe exerceat. Tua pulchritudo cogito intellectum unius cujuſque beati, ut ab nec ad unicum inſtans per totam æternitatem poſſit deſiſtere.

Uni-

Unicè cor meum, ab umbra pulchritudinis, quæ in creaturis reperitur, ſe moveri non ſinit, quia fidem, nempe vivam, non habeo. O pulchritudo ęterna, quàm ſerò cognovi te, quàm ſerò amavi te!

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXV.

De Bonitate Dei.

1. OCulos meos in altum elevans video firmamentum, ſolem, lunam, & ſtallas, quarum numerum tu Creator omnium noſti, ſicut & illarum nomina; quæcunque igitur ſuperiùs ſunt, non niſi de tua bonitate habent exiſtentiam, cùm ex ſemetipſis eſſe non poſſint. Super faciem univerſæ terræ circumſpiciens nihil video, quod eſſe à ſemetipſo habeat; ſingulis igitur creaturis eſſe dedit tua infinita bonitas, quia ſecùs omnia laterent in abyſſo nihili, de quo tuum omnipotens brachium poteſt, & tua bonitas vult extrahere, quæcunque debent eſſe in rerum natura.

2. Sed ad quid oculos meos ſurſum ele-

elevo, aut converto ſuper terræ faciem? ſufficit enim, ut memetipſum contempler; ex quo non poſſum tuam, ò Deus, infinitam bonitatem non agnoſcere; quid enim fui ante paucos ab hinc annos? fui cum infinitis creaturis poſſibilibus inane nihilum, & in iſto ulterius latuiſſem, niſi tua infinita bonitas dignata fuiſſet me de illo extrahere.

3. Creaſti ſolem, vas admirabile; feciſti lunam, & ſtellas; nobiliorem verò præ his omnibus mihi dediſti eſſentiam, corpus nempe tam mirabiliter effigiatum, quamquam de terræ limo, & animam creatam ad tuam imaginem; & hoc quidem feciſti cunctis hominibus, quos omnes venientes in hunc mundum illuminas, & vis ut ſalvi fiant, ſingulis tamen non contuliſti gratiam, ut de chriſtianis parentibus deſcenderent. Et dum ego ſum ità natus, unde promerui? non enim potui meritum ponere, antequam eſſe inciperem; ſed etiam prout actualiter exiſtens nihil potui abſque tua gratia; hæc autem, ſicut tota mea eſſentia, unicè a tua bonitate dependet.

4. O Deus, ò infinita bonitas! quan-

tam habeo dolendi, & plorandi cauſam, dum meam ingratitudinem in mentem revoco? horæ, dies, & ſeptimanæ prætereunt, & ego non recordor; quid à tua infinita bonitate acceperim; quis enim dedit mihi eſſe, & in talibus circumſtantiis, ut non tantùm ſalutis æternæ negotium ſecurè operari valeam, ſed & ad Chriſtianæ perfectionis apicem faciliter, dummodo ipſemet velim seriò, poſſim pertingere? præſtat aliquod bonum homo homini, à quo experitur ingratitudinem, hanc ipſam in corde ſuo graviter ſentit, & omnino habet ità ſentiendi cauſam: & ego ſciens, quòd ex me ipſo nihil ſim, & poſſim, ſed omnia à te Deo meo, & Domino meo acceperim, tam parum hucuſque fui gratus; eſt non ità impoſterum: priùs enim mei, quàm tui, o infinita bonitas! immemor vivam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXVI.

5. TUam, ò Altiſſime, contemplans omnipotentiam, video, quòd poſſis novum, aut plures mundos condere,

dere, & hos replere hominibus, qui tibi fidele præſtarent ſervitium: illos interea non creas, ſed relinquis in abyſſo nihili, inquo & ego cum creaturis duntaxat poſſibilibus potuiſſem perenniter deliteſcere: quid igitur eſt, quod me creaveris, & tot alios homines, qui fideliter tibi ſerviiſſent, in nihilo reliqueris? nihil aliud te impulit, niſi tuamet infinita bonitas; quid jam mererer, ſi hanc deinceps non agnoſcerem?

6. Sic igitur me creaſti præ creaturis innumerabilibus, quæ ad tuam viſionem, & participationem tuæ infinitæ beatitudinis nunquam pertingent: & ego nunc ſum, habens promiſſum infallibile, quòd tecum, utpote ſummo, & unico bono per omnem æternitatem in perfecta charitate ſim uniendus, & clarè viſurus perfectionum tuarum plenitudinem, & ipſummet ſacroſanctæ, & individuæ Trinitatis myſterium, dummodo pro paucis vitæ mortalis diebus te ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus diligam, ſervemque mandata tua non gravia. Hæc mihi facis, poſtquam me ità creàſti: ò infinita bonitas?

 7. Si

7. Si eſſet poſſibile, ut creaturæ; quæ perpetuò manebunt in abyſſo nihili, meam agnoſcerent felicitatem, quid mihi dicerent? fortè iſtud, *cur tu creatus es, & quidem ad poſſeſſionem gloriæ, quà Deus ipſe ab æterno fruitur? quæ tu, antequam eſſes, præ nobis habuiſti merita, ut exiſteres?* dicerent inſuper: *heu! quanta eſt ingratitudo tua erga infinitam Dei bonitatem? tu ſcis, qualiter, & ad quem finem ſis conditus, ut regnum æternum, gloriam æternam, gaudia æterna poſſideas: & horum vivis immemor; dilatas autem cor ad bona hujus mundi, & ſectaris delectamenta ſenſuum: heu quanta eſt ingratitudo tua?* & hanc, o Deus agnoſco, & deteſtor, aliter deinceps futurus memor omnium, quæ ex infinita tua bonitate feciſti, & pro æternitate paraſti.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXVII.

8. QUòd ſim conditus, & taliter, de tua, o Altiſſime, infinita bonitate habeo; nunc autem dolenter veritatem agnoſco, & confiteor,

teor, me neſcire, aut certò non eſſe memorem, qualiter ſim conditus, ſeu quòd theſaurum adeò pretioſum corpori meo mortali incluſeris, immortalem nempe animam; hanc quippe ſufficienter æſtimare non novi, quamquam non ſit alius viatorum hominum, qui ſciat illi debitum pretium ponere. Et propterea, ſi theſaurum iſtum ab intrinſeco, vel ex toto æſtimare noſſem, clarè ſtaret ante oculos meos, in mundo non eſſe quid excellentius, aut nobilius immortali,ſpiritualique anima.

9. Tu Domine corpus meum feciſti de limo terræ, animam verò meam creaſti de nihilo, ſed ità, ut eam inſpirares quaſi ſpiraculum, nempe de intimo divini cordis tui procedens. Quemadmodum igitur ſpiratio exit de corde, & in iſtud denuo revertitur, ità anima mea, utpote non ex præſuppoſito ſubjecto, vel materia habèns originem, ſed tamquam ſpiraculum procedens de corde tuo, in hoc ipſum debet reverti, & in iſto quieſcere; quoniam extra divinum cor tuum nullibi poteſt eſſe tamquam in centro: omnia enim, quæ mundus habet, & iſte to-

tus, non ſunt objectum ſibi proportionatum, nè dicam, centrum, quod unicè cor tuum eſt, de quo originaliter progreditur : & propterea.

10. Animam meam tu creator omnium tam admirabili modo creaſti, ut habeat quaſi ſimilitudinem cum Spiritu Sancto; iſte enim eſt ſpiratio, vel impulſus cordis, & voluntatis æterni Patris, & unigeniti filii Dei : & quia hæc ſpiratio, vel impulſus eſt ab æterno, & eſſentialis, hinc eſt verus Deus de Deo vero. Jam anima mea, cui tuam impreſſiſti ſimilitudinem, etiam eſt ſpiraculum tui cordis divini, non tamen de naturali, ſeu eſſentiali impulſu, quia eam contingenter, & liberè ſpiras : & propterea eſt ſpiritus, tantòque excellentior, & nobilior, quò glorioſior es tu factor omnium.

11. Sic igitur, o Altiſſime, tua infinita bonitas in meo mortali corpore theſaurum adeò pretioſum poſuit; qualiter autem iſtum huc uſque in pretio habui? heu me! rem meliùs conſiderans, quantùm in conſpectu tuo confundor? ſi mihi daretur in cuſtodiam gemma, quæ ob valorem intrinſecum æqui-

æquivaleret integro regno, ſub quanta diu, noctuque vigilarem ſolicitudine, nè detrimentum theſauro tam pretioſo fieret, & tantò magis, nè hujus jacturam paterer? jam autem habeo immortalem animam, quæ tam nobiliter, ſeu ad tuammet creata imaginem, non eſt tantùm aliquo regno, ſed univerſo mundo æſtimabilior. Et tamen non vigilo, nè theſaurum tanti pretii conſpuerem peccatorum maculis, aut nè omnino ejus jacturam in æternum patiar: ſed non ità deinceps, quoniam *anima mea in manibus meis ſemper.*

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXVIII.

12. O Deus, o inexauribilis fons omnis boni! quidquid enim bonum eſt in Cœlo, & in terra, ex tua infinita bonitate deſcendit; bona habent beati patriæ cœleſtis Incolæ, & juſti homines: bona habent ſol, luna, & firmamenti ſidera, cum aliis creaturis innumerabilibus: & hæc bona cuncta à tua infinita bonitate oriuntur, ac in ſuo eſſe conſervantur: ab eodem igitur

ſonte habeo, dum ſum, quidquid poſſum, & dum de momento in momento conſervor ſecundùm corpus, & animam.

13. Ubi jam eſſem, ſi non, & toties me tua, Domine, infinita bonitas conſervaſſet in vita? ſi Judæ, ſceleſtiſſimo traditori filii tui unigeniti, & mundi Redemptoris eſſet conceſſum, ut exiret de horrendiſſimo inferni carcere, & ſuper peccato ſuo abominabiliſſimo ageret pœnitentiam, an, etiam uſque ad diem judicii hìc vivere, & pati compulſus, vel pro hora tuæ infinitæ bonitatis foret immemor? abſit: ſciret enim, quid ſint inferni ſupplicia. Jam ubi Judas actu eſt, & erit in æternum cum innumeris, qui, ut ſuis cupiditatibus ſatisfacerent, potiùs voluerunt mortem, quàm vitam, & ego eſſe poſſem, flens, & ejulans, ſed abſque miſericordia: & dum ibi non ſum, eſt tua immenſa, tua infinita bonitas, cui uni, & ſoli debeo adſcribere, quòd adhuc vivam, & poſſim fieri ſalutis æternæ filius.

14. Tua, benigniſſime Deus, bonitas me conſervavit in vita, & paravit

vit pœnitendi ſpatium: labuntur tamen horæ, dies, ſeptimanæ, & menſes, abſque eo, quòd tuæ infinitæ bonitatis eſſem ſeriò memor. Animal ratione deſtitutum non obliviſcitur beneficii ſibi facti, quin, & ex naturæ impulſu conatur gratitudinem conteſtari in opere: & ego, creatura ingratiſſima, novi, ubi actu anima mea *eſſe poſſet*, nempe apud inferos, & inter cruciatus interminabiles: ubi *modò ſim*, & *quo* pertingere valeam, nempe ad æternam ſalutem, dummodo ipſemet velim, ſed ſeriò: & tamen, dum novi hæc omnia, quàm raro tuæ infinitæ bonitatis ſum memor? aſt non ità deinceps; priùs enim obliviſcar dexteræ meæ, quàm eorum, quæ mihi feciſti.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXIX.

15. FOrtis ut mors dilectio : etiam apud eos, qui ſedent in tenebris, & in umbra mortis. Nonnunquam vir fortis extitit, qui ex amore proximi, quem diligebat ut amicum, paſſus eſt multa, & gravia, imò nec dubitavit vitem ponere: ubi enim vera

eſt amicitia, intenſus quoque debet eſſe amor reciprocus; quapropter, dum duo veri amici ſeparantur ab invicem, eo quòd unum aliò proficiſci oporteat, in utriuſque corde dolor ingens oritur, & diu perſeverat. Doloroſius autem eſt iſtud, dum unus, qui aliquamdiu monſtravit, ſe eſſe amicum, de repentè mutatur; talis quippe tranſitus perſæpe eſt morte ipſa doloroſior, quoniam ſecundùm menſuram amoris dolor ſequitur.

16. Quando filius ingratus, & infidelis redditur erga ſuummet patrem, à quo, præter tot curas, & ſolicitudines, omnem amorem fuit expertus: quando inſuper talis filius poſt irrogatas tam amoroſo Patri injurias, hunc penitus deſerit, & ad licentioſam vitam convertitur, ejuſmodi infidelitas, & derelictio ſunt pio patri doloroſiora ipſa morte. Mi Deus, o ſummum bonum! o infinita bonitas! amicus amicum diligit, quia ab iſto experitur cor fidele, & fortè non nulla obſequia; in caſu autem, quo unus deſerit alterum ex parte derelicti ingens dolor in corde ſequitur. Filius a parentibus accepit

bona

bona temporalia : etdum erga illos ſe ingratum, & infidelem demonſtrat, dolor exparte parentum eſt morti ſimilis.

17. Heu, heu! quid jam ego creatura ingratiſſima cogito? inte enim Deo meo, & Domino meo eſt ſumma, & infinita bonitas: nihil poteſt eſſe, aut cogitari bonum, quòd in te non exiſteret; in te eſt infinita amabilitas, & ſanctitas: in te eſt infinita pulchritudo, & majeſtas: in te infinita ſcientia, & ſapientia, in te eſt infinita dulcedo, & gaudium: in te eſt infinita potentia, & unica ac perennis felicitas: verbo, in te eſt ſub ratione perfectiſſima omne bonum, & omne bonum es tu ipſemet.

18. Et hoc jam eſt, ſuper quo doleo, quia non amavi te: & quia non dolui, quòd te non dilexerim, ſuper hoc doleo ampliùs. Nonnunquam contigit, ut contra meam expectationem amicus a me recederet, quin & contrarium monſtraret genium, & ſuper hac inexſpectata viciſſitudine dolui, ac inſuper dolor perſeverabat in corde; quando receſſi a te Deo, a te ſummo & unico bono, meque converti ad creaturam, hanc plus, quàm te, diligens,

ſuper hoc receſſu, & converſione peſſima dolor in corde meo erat modicus, aut frequentiſſimè nullus: præteribant horæ, ac dies; & ego mente non volvebam, quantum tu dolorem in corde tuo conceperis, dum fontem omnis bonitatis dereliqui, & quæſivi bonum apparens, temporale, ac momentaneum; aſt ex hoc nunc fixa ſententia: nunquam ampliùs diligam aliquid extra te, amabo autem te ſolum: quia tu ſolus es ſumma, & infinita bonitas.

AVE MARIA.

SOLILOQUIUM LXX.

De Sanctitate Dei.

S*Anctus, Sanctus, Sanctus*: tu æternus Pater Sanctus es, quia in virtute tuæ omnipotentiæ potes omnia, quæ poſſunt habere exiſtentiam, quam peccatum non habet; peccare enim eſt deficere: & ideo peccare non potes. Sanctus es tu unigenitus Dei filius, quia es increata ſapientia, & ideo non potes approbare illud, quod huic immediatè repugnat, nempe peccatum. Sanctus es tu SpiritusParaclitus,quia es eſſentia-

lis

lis bonitas; deſineres autem eſſe talis, ſi vel in minimo defectum bonitatis admitteres.

2. Deus Altiſſime! creatura ſum ego, & ideo mihi non eſt omnipotentia, non increata ſapientia, non eſſentialis bonitas; tu tamen poſtulas a me (ſicut ab omnibus) ut Sanctus ſim, quoniam tu Sanctus es: quin imò tu id juſtiſſimè exigis, quia non poſſum meam infirmitatem prætendere; hanc enim tu confortas per tuam omnipotentiam, ità ut per hanc, ſeu mediante tua gràtia poſſim omnia, dummodo huic cooperari ipſemet ſeriò velim. Non poſſum me excuſare propter defectum ſapientiæ, quia tu illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, & tantò magìs, quando homo ſe in tenebris eſſe agnoſcit, & ideo pro ſapientia poſtulat, in fide tamen non hæſitans: & neque propter naturam corruptam poſſum me excuſabilem facere; pro hac enim corrigenda, & in bono conſervanda ſufficientem mihi paras gratiam.

3. Eſt igitur poſſibile, ut Sanctus ſim, ſicut tu Deus Sanctus es; atque ideo quantos in via perfectionis, & ſancti-

ctita-

ctitatis paſſus actu feciſſem, ſi habuiſſem ſerium, & efficax deſiderium impendendi media, quæ mihi ad hunc finem dediſti? quinam fuerunt Sancti Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, & Viduæ? de ſe fuerunt infirmi homines, ſicut ego: habuerunt naturam ab originali peccato corruptam, ſicut ego: debebant contra hujus paſſiones, pravaque deſideria agere, ſicut ego: vexabantur tentationibus, ſicut ego. Quod ergo potuerunt hi, ac illi, & ego poſſum, dummodo seriò velim, ut autem ità velim, tu, qui Sanctus es per eſſentiam, a me deſideras. O igitur, qui mihi das *poſſe*, da etiam *ſeriò velle*; meam infirmitatem conforta, intellectum illumina, & rebellem ad te compelle voluntatem.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXI.

4. TE Deum meum, & Dominum eſſe infinitè ſanctum, ſeu ipſammet ſanctitatem, corde, & ore confiteor: & propterea te adoro ſub humilitate profundiſſima; in quo autem conſiſtat

ſiſtat tua infinita Sanctitas, non poſſum dicere: eſt enim objectum imbecillitatem mei intellectus plurimum transgrediens. Si eſſe ſanctum eſt idem, ac Deum infinitè amare, & ex toto poſſidere, tunc ſcio, quòd ſis infinitè Sanctus, quia ſemel ipſum infinitè diligis, & totam Deitatem a temetipſo, ex te ipſo, & in te ipſo poſſides: Sanctus itaque es, quia Deus es.

5. Si eſſe Sanctum idem eſt, ac ſummam bonitatem habere, tunc es ipſamet infinita bonitas, atque ideo infinitè Sanctus. Si eſſe Sanctum idem eſt, ac eſſe juſtum tunc denuo infinitè Sanctus es, quia infinitam habes juſtitiam, quæ in æternum tecum permanet. Si eſſe Sanctum idem eſt, ac multas, maximaſque perfectiones habere, tunc iterum infinitè Sanctus es, quia contines perfectionum increatarum plenitudinem, quæ eſt tuamet eſſentia. Si eſſe Sanctum idem eſt, ac eſſe perfectè unitum cum Deo, tunc denuo infinita es Sanctitas, cùm extra te non ſit Deus, cum quo poſſes uniri; manes autem in æternum tecum ipſo ſolo unitus.

6. Tu æternus Pater es totus in filio:

lio: & iſte eſt totus in te: & uterque totus eſt in Spiritu Sancto: & hic totus eſt in utroque; hæc verò unitas non eo modo contingit, qualiter anima unitur corpori, a quo ſeparabilis: eſt autem in te Deo unitas per eſſentiam. Es igitur tu Pater infinitè Sanctus, quia totus, & per eſſentiam es in filio: infinitè Sanctus eſt filius: quia totus, & per eſſentiam eſt in te: infinitè Sanctus eſt Spiritus Paraclitus, quia totus; & per eſſentiam eſt in utroque: & tamen non datur, niſi una infinita Sanctitas, quia unus eſt Deus, in quo quidquid eſt, infinitè Sanctum eſt.

7. Nemo Sanctus eſt, ſicut tu Dominus Deus, qui es Sanctus ex temetipſo, & per eſſentiam; quicunque autem ad Sanctitatem pertingit, per tuam gratiam Sanctus efficitur. Hanc quidem nemini debes; ſed tamen etiam nulli denegas, quando abſque hœſitatione in fide pro ea rogaris. Cùm igitur in me nulla ſit perfectio, ſuper qua radicatur Sanctitas, ah dignare gratiam tuam mihi tribuere, ut tibi ex toto adhærens, unus tecum ſim ſpiritus, de voluntate nimirum, quia per eſſentiam eſt impoſſibi-

ſibile; ex hoc nunc tibi ità adhærere, te ità diligere, & tecum unus Spiritur eſſe deſidero, ſicut fuerunt Sancti, imò ſicut fuit Maria Virgo, & mater filii tui unigeniti pretioſiſſima.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXII.

8. LUX es tu Deus, & tenebræ in te non ſunt ullæ, lux verò tua eſt tua Sanctitas: & quia lux tua infinitè magna eſt, hinc infinita eſt Sanctitas tua. Etiam Sanctitas Electorum tuorum in cœlo conſiſtit in lumine gloriæ, ubi proinde plura præceſſerunt merita, lumen gloriæ, vel lux Sanctitatis intenditur. Dum igitur lumen gloriæ apud unum duntaxat Cœleſtis Patriæ Incolam tam magnum eſt, quid erit lumen gloriæ apud tot milliones, & milliones Electorum hominum? quid erit apud tot beatos Spiritus, qui incomparabiliter ſunt plures numero? quid eſſet ejuſmodi lumen gloriæ, ſi tu, cui poſſibilia ſunt omnia, novum cœlum, imo centum, aut mille cœlos conderes?

9. Ecce in cogitationibus meis altè aſcen-

aſcendo; tu autem Altiſſimus potes tuam omnipotentiam ampliùs extendere, ità ut ego nec cogitando aſſequi valeam; potes igitur centum, aut mille novos cœlos condere, ità ut ſinguli horum Incolæ habeant tale gloriæ lumen, quo actu præditus eſt Cœleſtis militiæ Princeps. Jam in hac hypoteſi, ſeu apud tot Electos, quantus eſſet Sanctitatis, & gloriæ ſplendor? an per iſtum ſimul ſumptum ad tuam ſanctitatem, ac gloriam poſſem comparationem facere? parce magne Deus, dum denuo in ſimplicitate méa locutus ſum; ſi enim ignis ſcintillam cum ſplendore Solis, aut aquæ guttam cum mari comparavero, novi me agere inter ea, quæ habent limites: ſine his autem eſt tua gloria, tua Sanctitas. Beati igitur, & ter beati, qui in domo jam actu habitant, & te intuentur facie ad faciem; vivunt enim quaſi immemores ſuæmet gloriæ, quia inceſſanter in omnem æternitatem canunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus noſter*.

10. Ah quando adveniet inſtans illud beatiſſimum, quo & mihi, quamquam indigniſſimo, licebit cum cœlitibus

bus repetere hoc triſagion *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*! Vitæ meæ tenorem contemplans video illud inſtans adhuc longè diſtare: neceſſum enim eſt, ut priùs vel hic pro peccatis meis infinitæ tuæ juſtitiæ ſatisfaciam, vel ibi ſatispatiar, & ſub luſtralibus flammis purificer, quoniam nihil coinquinatum in civitatem tuam intrabit. Cæterum, quamquam mihi actu deſit lumen gloriæ, non tamen deeſt lumen fidei, per quam de objecto taliter certificor, quantam ex ipſa viſione haberem certitudinem. Te proinde exoro, ut fidem mihi adaugeas: & ità mente, ac Spiritu de die in diem in cœlis converſans potero cum tuis amicis canere, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXIII.

De Scientia Dei.

1. LUX es tu Deus, & tenebræ in te non ſunt ullæ, nimirum ignorantiæ; quæcunque feciſti, ſint magna vel parva, ſint ſplendida, aut vilia, omnia tu noſti: nihil enim coram tuo intel-

intellectu eſt abſconditum. Cœlum intueor, & hujus magnitudo quaſi immenſa eſſe mihi videtur: tu tamen ſcis hujus terminos: noſti etiam, quot puncta, ex quibus componitur, in ſe contineat: in aerem oculos meos elevans, arbitror, circumvolitantes atomos eſſe abſque numero; tu tamen per tuam ſcientiam eum melius ſcis, quam ego noverim, quot digitos in manibus habeam. O altitudo divitiarum ſcientiæ tuæ Deus? quis es tu, & quis ſum ego? quin imò qui ſumus nos cuncti mortales in tuo conſpectu?

2. Super faciem terræ circumſpiciens video montes, & colles, amplamque planitiem: hæc, & illi combinantur ex lapillis, & granulis, quorum tantus eſt numerus, qui intellectum cujuſcunque viatoris hominis plurimùm tranſgreditur. Tu autem Domine per tuam ſcientiam illos lapillos, & granula priùs dinumeras, quàm ego ſciam, quot oculos habeam in capite. Ad littus maris conſidens video ingentem aquarum molem: dum igitur interrogo, quot ſunt guttæ in mari, aut ad hujus littus arenulæ, nemo eſt de mortali-

talibus, qui reſpondeat; putant enim omnes, undique eſſe quaſi infinitudinem. Et tu Deus melius ex utraque parte noſti numerum, quam ego ſciam, an modò ſit dies, vel nox.

3. Si noſſe vellem, quot minuta temporis in decies centies millionibus annorum contineantur, quantus labor, quantus ſudor eſſent neceſſaria? & quomodo poſſem hanc minutorum multitudinem exprimere? tu autem Deus ſicut per unum verbum omnia feciſti, ſic in virtute tuæ ſcientiæ per unum intellectus actum omnia noſti: an ego adhuc puto, me ſcire aliquid? ah utinam ſaltem te noſſem, & ex toto corde diligerem! utrumque enim mihi ſufficeret.

4. Hic in terris multum æſtimatur vir ille qui perfectè callet unam, vel alteram ſcientiam, & perinde ſcripſit unum, vel alterum librum; multi de viro tali fiunt ſermones: audiuntur ejus verba, vel conſilia tamquam indubitata veritas. Et tu Deus, qui una ſimul noſti omnia, non æſtimaris a nobis mortalibus, dicam potius a me ipſo; tui in ſermonibus meis raró facio memoriam: tua conſilia, imò tua præcepta, tuam

vo-

voluntatem non exequor; & cur ſiunt hæc omnia? quia ex viva fide non ſtudeo tuas infinitas perfectiones meliùs noſſe, te propter iſtas magis æſtimare, & ardentius diligere.

Ave Maria

SOLILOQUIUM LXXIV.

5. Nihil eſt magis abſconditum, quàm ſint cogitationes omnium, & ſingulorum hominum, qui ab Adamo uſque ad hoc inſtans fuerunt, & erunt uſque ad conſummationem ſæculi: illas tamen tu Deus una ſimul, & clariſſimè vides; inſuper pridem præteritæ cogitationes Adami, & poſt longa tempora futuræ cogitationes noviſſimi hominis ſimiliter ſubſtant tuæ infinitæ ſcientiæ: & quod de primo l ac ultimo homine ſentio, ſeu tamquam rem certiſſimam novi, id ipſum dico de ſingulis hominibus; tua enim infinita ſcientia non reſpicit futurum, aut præteritum, ſed fundat ſe ſuper tua æternitate, & in hac, utpote indiviſibbili, præterita, aut futura ſimul exiſtunt. O Altiſſime! qui es tu, &

& quis ſum ego? ſum pulvis ac cinis, & in conſpectu tuo tamquam nihilum.

6. Quia tu ſimul noſti omnia, hinc tibi in hoc ipſo inſtanti, quo loquor ad te, eſt perſpectiſſimum, quam cogitationes habiturus ſim deinceps, & ſingulariter in mortis articulo. Tu inſuper noſti, quid ego cogitarem, & facerem, ſi me poſuiſſes in aliis circumſtantiis, in quibus nempe natus eſſem alio tempore, in alio loco; & quod de me ipſo loquor, verum eſt de tot millionibus hominum, qui fuerunt, aut erunt. Hoc autem tuæ infinitæ ſcientię non dum ſufficit; tu enim potes tot mundos condere, quot in firmamento ſunt ſidera: &, quamvis ad hanc creationem non ſis extenſurus tuum brachium omnipotens, hoc tamen eſt veriſſimum, quòd tu in hoc inſtanti, quo loquor, tam bene noveris, quas cogitationes illæ creaturæ, actu duntaxat poſſibiles, conciperent, & quænam opera facerent, quàm bene noſti, quid ego cogitem, aut faciam. O Domine, quò tua ſe extendit ſcientia?

7. Quia omnia ſimul creaſti, ſimul noſti omnia: tuam proinde infinitam ſcien-

ſcientiam adoro in ſpiritu humilitatis; nullo modo autem poſſum eam capere, & exprimere: ſuper hoc doleo, quòd, dum ſcis omnia ſimul, meam quoque ad malum pronam, & tibi contradicentem voluntatem noſſe debueris: & propterea quantum haberem deſiderium, ut tot malas cogitationes, non recta verba, & opera, utpote objecta, tuæ ſcientiæ contraria, revocare, & annihilare poſſem? ſed præterierunt quoad durationem temporis, non tamen quoad ſcientiam, niſi ego per pœnitentiæ viam feriò ſtudeam omnia extinguere.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXV.

8. ARbitrabar, bone Deus, me de tua infinita ſcientia eſſe quidquam locutum; ſed nunc video, quòd non niſi modica dixerim; quis autem de cunctis mortalibus, aliquid condignum de illa enuntiare poterit? tu es omnipotens, & ideo, ſi vis potes tot creare mundos, quot lucent in firmamento ſidera: ſi vis, potes ſingulis, qui eſſent in tot mundis, hominibus talem dare ſcientiam, quam Salomon habuit: & ta-

& tamen etiam in iſto poſſibili caſu tot homines non poſſent tuam ſcientiam ſufficienter capere, & exponere; quantò magis igitur ego nihil condignum de ea dixi.

9. Tuus autem, ò Altiſſime, divinus intellectus eſt ſufficiens, ut tuam ſcientiam, & ſimul cunctas perfectiones increatas, totamque deitatem capiat: hæc eſt ſcientia tibi propria, & ſimul tuum intellectum exhauriens, manet tamen iſte inexhauſtus, quia per totam æternitatem, ſeu pro eodem indiviſibili, & beatiſſimo *nunc* totam deitatem cognoſcis. Et ſuper hoc iterum debeo ſub humilitate profundiſſima adorare tuam infinitam ſcientiam, dum conſidero, quòd per hanc ipſam meæ perſonæ, tamquam nihili ante te, meminiſſe digneris.

10. Quanta ſuper hoc puncto in mundo eſt differentia? quò magis honoratior, & potentior quiſquam compareat coram hominibus, eo minus meminit rerum coram iſtis vilium. Si quis rex, aut Monarcha coram ſuis principibus, & miniſtris mentionem faceret de noviſſimo ſtabuli famulo, & monſtra-

ſtraret conſolationem non qualemcunque, ſed maximam, intelligens, quòd omnia circa eundem famulum bene ſe habeant, quantùm ex parte ſtabularii eſſet gaudium? quid dicerent homines de tali regis, aut Monarchæ clementia? ò Altiſſime! ò Rex regum, & Dominus dominantium! quis es tu, & quis eſt mortalis homo? & tamen dignaris mei nihili meminiſſe per eandem ſcientiam, qua temetipſum cognoſcìs: quin & tibi complaces ſuper minimis meis operibus, quaſi multa, & magna præſtarem, dummodo omnia faciam ex puro tui amore, & ad te ordinem tamquam ad finem ultimum: tantam nempe habes clementiam, quia Deus es. Mihi igitur deinceps ſufficiat, quòd tu noveris omnia, dicant deinde homines, quidcunque velint; iſtis enim, adeoque bonis, & malis, ut ſatisfaciam, aliunde eſt impoſſibile: dixi: tu Deus ſcis omnia: & iſtud mihi ſufficit.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXVI.

De Sapientia Dei.

1. OMnis ſapientia a te Domino Deo eſt, & tecum fuit ſemper, & eſt ante ævum. Sapientiam tuam quis ſcutabitur? nemo de mortalibus: & hi omnes ſimul fruſtra agerent. Fortè electi in Cœlis, & beati Spiritus tuam ſcrutabuntur ſapientiam? etiam iſtorum tentamen eſt fruſtraneum; quamvìs enim uniuſcujuſque intellectus elevetur per gloriæ lumen, cujus minimus (ut ità loquar) gradus plus valet, quàm cunctorum mortalium ſapientia: & quamvìs inſuper cuncti cœlites ſint abſorpti in contemplatione tuę ſapientię, idque ſecundùm virtutem ſuperni, ſeu glorię luminis, non tamen in ęternum tuam ſapientiam ità videntes, & adorantes, hanc poſſunt comprehendere; & dum pro tota ęternitate multi ſunt & taliter, ut numerum nemo dinumerare poſſit, pono caſum, quo decies centies, aut millies plures eſſent: hęc igitur eſt tua, Deus, ſapientia, quę,

utpote infinita, & increata, omnem intellectum creatum, vel poſſibilem infinitè tranſcendit.

2. Nemo de nobis viatoribus, & neque ullus de comprehenſoribus, poteſt capere, vel aſſignare cauſam, cur tu Altiſſimus unum duntaxat mundum creaveris, dum plures, & quidem pro omni momento tibi ſunt poſſibiles; nam exiſtentia plurium mundorum ampliùs, prout noſter intellectus ſuggerit, tuam commendaret omnipotentiam. Deinde, nemo eſt de nobis hominibus, & nemo de Angelis, qui capiat, cur tu, qui æternus es, hunc mundum ante aliquot mille annos primùm creaveris: nihil proinde eſt reliquum, niſi ut captivato intellectu proſternamus nos in faciem, & humiliter adoremus tuam infinitam ſapientiam.

3. Iterum nemo eſt, ſaltèm de nobis viatoribus, qui perfectè capiat, cur tu Altiſſimus incomparabiliter plures creaveris Angelos, quàm homines: & cur ex illis tertia pars, quæ peccavit, perierit in æternum abſque miſericordia. Verum quidem eſt, quòd angelici Spiritus, qui tibi rebelles ſunt facti,

facti, poſt peccatum retinuerint voluntatem ſuam peſſimam, & de invocanda tua miſericordia non cogitaverint, ſicuti nec actu cogitant. Peccavit Adam, & peccando perdidit poſteritatem; tu autem pro Reparatore dediſti filium tuum unigenitum, ò altitudo tuæ ſapientiæ! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia tua! quam inveſtigabiles viæ tuæ! utinam & in me veniret infinitæ ſapientiæ tuæ Spiritus, mecum eſſet, & laboraret, meque in omnibus dirigeret. Novi quidem, quòd non intret in animam malevolam, neque habitet in corpore peccatis ſubdito; novi autem & iſtud, quod cor contritum, & humiliatum, teque filialiter timens non deſpicias.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXVII.

4. O'Domine, quàm magna, & glorioſa ſunt opera tua! omnia in ſapientia feciſti, & cuncta manuum tuarum opera tuam annuntiant ſapientiam; quam dum non comprehendo in occultis, mirabilibuſque myſteriis,

ſaltem humiliter adorabo in viſibilibus manuum tuarum operibus. Pergo igitur ad ſilvam, & hìc ò quot audio infinitæ tuæ ſapientiæ nuntios! audio nempe Cœli volucres, quæ per ſuaviſſimum, & in qualibet ſpecie diſtinctum cantum, tuam annuntiant gloriam. Quis alatas has creaturas tam amænum, & continuò diverſum cantum docuit? nemo, niſi tua infinita ſapientia.

5. Pergo pro vernali, & amæniſſimo tempore ad hortum, & hìc mirum in modum recreantur mei ſenſus, dum flores tanta pulchritudine, & adeò ſuavi odore refertos aſpicio. Quis tam admirabilem colorum varietatem, & odorem his creaturis indidit? hoc totum fecit tua, Domine, infinita ſapientia; Magna fuit coram oculis hominum gloria, & majeſtas, ſub qua comparuit Rex Salomon, qui divitiis, potentia, & ſcientia, præceſſit cunctos reges ante ſe natos, prout & nemo deinceps ſurrexit ſibi ſimilis, quoad ea, quæ ſplendorem coram mundo faciunt: interea tamen cum omni ſua gloria non habuit pulchritudinem, quam flos horti, aut cam-

campi præſefert. Florem itaque gaudenter aſpicio, & ex odore recreor; intermitto autem magnificare tuam, ò Deus! Sapientiam, quæ diſpoſuit hæc omnia.

6. Pergo æſtivo tempore ad agrum vel pratum: & hìc video terram, utpote communem omnium matrem, quæ millenos, & millenos fructus parturit; hi autem tum in magnitudine, tum in qualitate, & virtute plurimùm ab invicem differunt; eſt tamen eadem mater, idem alimentum miniſtrans ſingulis fructibus: & hoc totum denuo fecit tua, ò Deus. ſapientia.

7. Pergo autumnali tempore ad hortum pomiferum, & ad vineam, ſtantque coram oculis meis pulcherrimi, odoriferi, ac ſenſibus gratiſſimi fructus, ubi tamen arbores comuniter, vites autem ſemper nullam præſeferunt pulchritudinem, & neque odorem continent. Hæc proinde, ac plura, per tuam, ò Deus, facta ſunt ſapientiam, quam laudandi, & adorandi quot argumenta undique habeo?

8. Videbam ſubinde florem, utpote per artem humanam pulchrè confe-

ctum, aut ejuſmodi opera de manibus hominum, & propterea multum mirabar; magne Deus, conſpicio quotidie, quocunque convertam oculos, opera, per tuam diſpoſita ſapientiam; & abeunt horæ, dies, ſeptimanæ, ac menſes, abſque eo, quod illam contempler, & magnificem; quanta cæcitas? habeo ſenſus, & animæ potentias; has verò, & illos converto ad vana, & tranſitoria, immemor autem vivo eorum, quæ tu in ſapientia tua feciſti.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXVIII.

9. CUM ſapientia tua Deus potiſſimùm in altiſſimis habitet, & thronus ſuus ſit in columna nubis, & gyrum cæli circumeat ſola, hinc oculos meos de terra ſurſum elevo, ut videam, quomodo illa in firmamento reſplendeat. Hic igitur conſpicio ſolem, lunam, ac ſtellas: & dum harum ingens eſt numerus, omnem nempe intellectum viatoris hominis tranſgrediens, illæ tamen ſunt ſub pulcherrimo ordine; quis hunc diſpoſuit, & quidem in

virtute unius verbi, nec non in momento temporis? quis ſolem docuit curſum, ita ut per tot mille annos, nec latum unguem aberret à via, quam ſibi ab initio ordinaſti? hæc omnia tu Deus feciſti per tuam infinitam Sapientiam.

10. Quis Cœlos, quorum amplitudo eſt inexplicabilis, ita compõſuit, ut unum non impediatur ab altero, dum interea ſinguli ſunt in continuo, & longè celerrimo motu? me enim legiſſe recordor: (Sed legens obſtupui, quia non poteram ullo modo rem capere:) quod ſupremum; & primum mobile ſub unius intervallo conficiat iter viginti millionibus leucarum æquivalens: & iſte adeò velox cœlorum motus ità continuatur, ut per tot mille annos quies ad horæ quadrantem non intercefferit; ſtante inſuper eodem motu nulla ex parte cœlorum fit corruptio, aut debilitatio. Hæc ergo, ò Altiſſime! ſunt quæ imbecillitatem mei intellectus maxime tranſgrediuntur; Si autem iſtorum frequentior in me eſſet memoria, an poſſet contingere, ut videns diſpoſitionem tantorum operum

non amplius laudarem, & magnificarem tuam infinitam Sapientiam?

11. O increata Sapientia, quàm incomprehenſibilis es in his tam magnis operibus! ſub tanta velocitate cœli moventur, & tamen in ſuo centro quieſcunt; ſic nempe, mi Deus, & ego deberem moveri, ſed ſimul in centro, quod es ipſemet, continuò quieſcere; quid enim eſt vita mortalis, niſi motus, imò feſtinatio ad terminum? ita autem, ad hunc properans, in te tamquam in centro deberem eſſe fixus, & immobilis. Quantum nunc doleo, quod hactenus tam parum conſideraverim, & cordi duxerim, quid ſit in te velut in centro quieſcere, nempe per dilectionem, & mandatorum tuorum obſervantiam: & quid ſit rogari extra te in vanitatibus, praviſque naturæ corruptæ deſideriis.

12. Si haberem quaſcunque deſiderabiles divitias, ſi eſſem in honoribus, ſi abundarem quibuſcumque mundi gaudiis verbo, ſi tamquam Monarcha poſſiderem hunc totum mundum, ſed alienus à centro, nempe a te Deo meo; & Domino meo, miſer eſſem cum poſ-

ſeſſio-

ſeſſione totius mundi, quia non iſte, ſed tu Solus potes perfectam quietem mentis, & Spiritus tribuere. Si autem per dilectionem, & gratiam quieſco in te, beatus ſum, etiam inter hujus mundi tribulationes medius, quia poſſum confidere, quod in æternæ felicitatis centro actu jam vivam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXIX.

De miſericordia Dei.

1. MIſericordia tua Domine, plena eſt terra; in Cœlo peccaverunt Angeli, & non niſi ſemel, ſeu per cogitationem momentaneam: & his non pepercíſti; præcipitaſti autem eos ad tartara: peccavi ego, non ſemel tantùm, ſed, eheu! Sæpius: & miſericordiam conſequor, hancque ſub modo longè extraordinario; pro creatione hujus univerſi non adhibuiſti, niſi verbum, & imperium: dixiſti enim, & facta ſunt, mandaſti, & creata ſunt; at verò, ut ego mundarer à peccatis meis, & ut pro iſtis infinitæ juſtitiæ condigna præſtaretur ſatisfactio, non erat ſuffi-

ciens, unum duntaxat verbum dicere; tanta quippe eſt mortalis peccati malitia, ut pro hac delenda, & pro reparatione injuriæ, illatæ tuæ majeſtati, inefficax ſit actus puri hominis, imò cunctorum mortalium dico ampliùs;

2. Tibi æterno Deo omni momento eſt poſſibile, ut novum mundum crees, imò tot, quot in firmamento ſplendent ſidera; poſſes etiam eoſdem mundos replere hominibus non niſi ſanctiſſimis: poſſes inſuper ordinare, ut ſinguli homines in illis mundis deberent per mille annos vivere, quatenus eò plura congregarent merita: & hæc in unum tandem collata forent omnino ingens theſaurus; an etiam ſufficiens, ut pro unico peccato lethali condigna tuæ infinitæ juſtitiæ præſtaretur ſatisfactio? heu, heu! Domine Deus! tam grande malum in uno mortali peccato involuitur, ut tot hominum merita ad effectum præſtandi condignam ſatisfactionem non ſufficerent.

3. Contremiſcerem, ſi deberem intelligere, in ordine ad ſatisfaciendum tuæ juſtitiæ pro uno duntaxat gravi peccato nihil eſſe reliquum, niſi ut tu

Pater, omnipotens Deus, ad creationem alterius mundi procedas: Sed & iſte proceſſus tibi eſſet facilis; diceres enim unum verbum *fiat*, & facta eſſent omnia: fuit igitur pro ſolvendo, & delendo peccato quid longè majus neceſſarium, nempe ut tuus unigenitus filius, & tecum unus Deus ex impulſu infinitæ miſericordiæ fieret homo, quatenus qua Deus-Homo condignam pro mortali ſatisfactionem præſtaret. O infinita miſericordia! te in æternum cantabo.

4. O infinitum malum peccati? prò quo perfectè delendo indiſpenſabiliter neceſſarium fuit medium longè majus, quâm eſſet novi, imò mille mundorum creatio; fuit ergo neceſſarium, ut tuus unigenitus, & tibi conſubſtantialis filius naturam humanam aſſumeret: atque hoc jam eſt, ex quo tu Pater, Dominus Cœli, & terræ, tuam omnipotentiam parcendo, & miſerando ut plurimùm manifeſtas: ſed & ego deinceps non ceſſabo de die in diem tuam miſericordiam agnoſcere, & pro hac taliter præſtita perennes agere gratias.

Ave

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXX.

5. EGo peccavi, & tu æternus Deus, æternique Patris filius deſcendis de throno gloriæ : naſceris ut Parvulus : aſſumis naturæ humanæ calamitates, & miſerias : perſecutiones undique pateris ; quia neque tui te receperunt : vis ligari catenis, & vinculis tamquam malefactor, poſtquam benefeciſti omnibus : audis contra te falſa teſtimonia, & taces : horrendiſſimè flagellaris in toto corpore, & in capite ſuſtines doloroſiſſimam de Spinis Coronam ; & non aperis os tuum.

6. Ego peccavi, & tu Chriſte Jeſu, verus Deus, & homo vis ſubire acerbiſſimam mortem, in infami crucis patibulo, in conſpectu totius populi, medius inter ſceleratos, tamquam, pejor omnibus : vis inter immenſos in toto corpore dolores, etiam à Patre tuo, qui in Cœlis eſt, derelinqui, & ità in manibus ejus commendare ſpiritum. O infinitè amans miſericordia, quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fon-

tem

tem lacrymarum? & plorabo die, ac nocte; nam ego peccavi, non tu, qui es ipſamet innocentia: ego iniquè, ego, non tu, qui es ipſamet Sanctitas: ego ſcelera commiſi, non tu, qui es Deus Homo.

7. Si graviter infirmus decumberem, & valetudo mea amplius recuperari non poſſet, niſi per medicinam, quæ pretio integri conſtaret, quid de mea ſalute ſentirem? in eo proinde caſu, quo terrenus Monarcha mei miſereretur, & medicinam adeò pretioſam pro me parari faceret, quantæ iſte eſſet actus miſericordiæ? ego peccavi: & ideo graviter infirmabar in anima; & tu Deus Cœli, univerſorumque Dominus, factus homo pro ſalute animæ meæ, paraſti medicinam, quæ plus valet, quàm iſte mundus, imò quam mille mundi: paraſti nempe Sanguinem tuum pretioſiſſimum. O infinita miſericordia! quantæ jam reus ſum ingratitudinis? Si ſalus corporis mei reparari debuiſſet per medicinam, æquivalentem nempe integri regni pretio, hanc gratiam, utpote tantam, oblivioni nunquam traderem; anima mea in-

infirmabatur, quin imo ſpiritualiter jam erat mortua, & tu pro iſta per gratiam ſanctificantem vivificanda, paraſti extraordinarium miſericordiæ medium: labuntur tamen ex parte mea horæ ac dies, abſque eo, quòd feriò ſim memor, quid mihi feceris: ideo autem memor non ſum, quia ex viva fide cordi non duco gravitatem peccati, & magnitudinem miſericordiæ tuæ.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXXI.

8. QUemadmodum judicia tua, ò Altiſſime, in infinitum elongantur à judiciis, & cogitationibus noſtris, itâ ſunt miſerationes tuæ ſuper miſerationes mortalium. Apud nos ſi quis ſemel deliquerit coram potente Domino, ſit Monarcha, Rex aut Princeps, multæ, & multorum preces ſunt neceſſariæ, ut delinquens, & fortè aliena culpa deceptus, inveniat indulgentiam, & quidem pro prima vice; quid eſſet futurum, ſi quis in eandem culpam ſæpius incideret?

9. Aliter tua o Deus, comparata eſt

eſt miſericordia; corde contrito, & humiliato peccatum meum confiteor, non aliena culpa deceptus, ſed de propria voluntate in illud prolapſus, & hoc ipſo inſtanti tu mihi culpam dimittis, & hoc non ſemel, ſed toties, quoties ego verè pœnitens ad te redeo, quia nempe miſerationes tuæ ſunt ſuper omnia opera tua. Apud nos mortales, quia vehementer limitatæ ſunt miſericordiæ, quis taliter coram rege, aut principe conſequeretur indulgentiam? tibi autem Deo optimo maximo non dum eſt ſufficiens; ut in inſtanti, quo corde contrito, & humiliato ad te Patrem miſericordiarum revertor, culpam dimittas, & ſæpius, quia inſuper non expectas, donec ego pro remiſſione, & gratia ſupplicem, ſed tu ipſemet, ut convertar ad te, per inſpirationes, & ad monitiones angeli mei cuſtodis prævenire dignaris.

10. Apud nos mortales, eſto quòd quis poſt iteratas preces obtineat indulgentiam, quantum tamen eſt periculum, ne remaneat factæ injuriæ memoria? & quod hæc remaneat, quotidiana, proh dolor! experientia eſt teſtis.

teſtis. Tua o Deus, miſericordia ampliùs extenditur; tu enim non tantùm in inſtanti dimittis iniquitates, & ſcelera, ſi forent centum, & mille, ſed inſuper promittis, quòd velis obliviſci malorum omnium, quæ contra te egi.

11. In mundo dum quiſpiam, qui alteri injuriam intulit, hujus remiſſionem conſequetur, debet eſſe contentus; de priſtina, novaque amicitia, vel gratia nihil poteſt ſibi promittere. Tua! o Deus, miſericordia, quia infinita eſt, aſcendit altiùs; peccati enim (quod, nimirum mortale, in ratione offenſæ infinitum eſt malum, & perinde in genere mali quid pejus, quam opera quæcunque recta ſint bona; quia hæc, qualitercunque bona, utpote facta a puro homine, bonitatem infinitam non continent) peccati, inquam, tu Deus ad primum veræ pœnitentiæ momentum obliviſceris, & recordaris in eodem inſtanti bonorum operum, ſive magna, ſive parva fuerint, quæ pro ſtatu peccati, mortificata, vel ſopita manebant: hæc proinde ad primum veræ pœnitentiæ inſtans concurrunt, ut antea, ad augmentum Cœleſtis gloriæ.

12. Quid

12. Quid dicam ampliùs, neſcio: ſed tamen unum verbum mihi adhuc ſuper eſt; Tua, Domine, miſericordia ad ea ſe extendit, pro quibus nè quidem rogaris. Filius prodigus in Evangelio optabat, ut poſſet eſſe unus de mercenariis in domo patris ſui: & ab iſto in priſtinam, imò majorem gratiam tamquam filius ſuſcipitur. Latro e cruce pendens, & corde dolens dicebat, *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum*: & audit, *hodie mecum eris in paradiſo*. Hæc, o Deus, eſt miſericordia tua, & hanc in æternum cantabo; ſi enim miſericordiam mihi non feciſſes, ubi jam eſſem? & quia dignaris ulteriùs miſericordiam facere, ità tamen, ut deinceps vivam abſque peccato, ubi jam ſum?

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XXXII.

De patientia Dei.

1. TU Domine Deus, pius, & miſericors es, & miſericordiæ tuæ non eſt numerus; dum autem patiens es erga peccatorem, reum nempe tuæ

Ma-

Majeſtatis divinæ, hoc eſt, quod denuo meum intellectum tranſcendit, ſola autem fides ſuffragatur: peccator enim contemnit te Deum, ſupremum legiſlatorem, utpote mendata tua tranſgrediens: non reſpicit, te tamquam ſupremum cœli, & terræ Dominum, quia debitum tibi ſervitium denegat, explet autem prava naturæ ſuæ deſideria, facitque voluntatem infenſiſſimi tibi hoſtis diaboli: *& tu patiens es?*

2. Peccator ſe elongat a te Deo tamquam ſuo amantiſſimo Patre, & renuntiat juri ad æternam gloriam, *filiorumque Dei* ſortem: *& tu patiens es?* peccator miſericordiam tuam contemnit, quia hac ad ulteriùs, liberiùſque peccandum abutitur, ſub eo nimirum prætextu, quòd tempus ad agendam pœnitentiam adhuc ſit reliquum: vilipendit tuam bonitatem, quia præſumit ante oculos tuos ponere illud, quod novit, ad ſummam tibi eſſe diſplicentiam. *& tu patiens es?*

3. Peccator abutitur tua omnipotentia, quia hujus concurſum impendit ad tale opus, de quo novit, quod ſit in oculis tuis abominatio: & tu Deus pa-

patiens es? peccator contemnit tuam juſtitiam, quin & te quaſi provocat, aut tentat, an tu poſſis de peccato in inſtanti vindictam ſumere, ac facere vitæ finem, ne ulterius expleat prava naturæ deſideria: & tu patiens es?

4. Peccator vult annihilare tuam æternitatem, quia reipſa quoad voluntatem ſuam eſt taliter comparatus, ut, ſi poſſet tuum regnum, tuam potentiam, & dominium, in nihilum redigere, id totum faceret, ſibimetipſi nempe æternitatem attribuere cupiens, quatenus ſemper, ſeu in æternum poſſet explere prava voluntatis ſuæ deſideria: & tu æternus, & omnipotens Deus patiens es? peccator te contemnit tamquam naturalium, & ſupernaturalium donorum, & gratiarum Auctorem, quia dona, gratias, & beneficia, quæ ſibi contuliſti, non impendit ad finem a te intentum, nempe ad tuammet majorem gloriam, quia operatur immediatè contrarium, utpote te ſummè injurians: & tu patiens es?

5. Peccator, o Deus, peccat in omnibus, ſeu contra omnes tuas perfectiones increatas, ità quidem, ut quot

quot harum tu in tua eſſentia contines, tot malorum genera in uno mortali peccato concurrant, abſque numero ſcilicet, & abſque fine, quia illud quoad rationem offenſæ eſt infinitùs in deficiendo, & tu Altiſſimus patiens es? ſuper quo jam mirabor ampliùs? an ſuper tua patientia, an autem ſuper malo unius duntaxat læthalis peccati? hoc ſcio, quòd in iſto infinitudo in genere mali, in illa verò infinitudo in genere boni contineatur. Humiliter proinde adoro tuam infinitam patientiam, peccatum autem damno, deteſtor, & abominor.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXXIII.

6. IN monte Calvariæ quondam contingit ſpectaculum, ſuper quo tota natura debuit contremiſcere; terra movebatur: Cœlum mœrebat; Sol ſe occultabat: petræ ſcindebantur in partes: omnes creaturæ, non habentes animam, ſummum patiebantur horrorem: & tremendum iſtud ſpectaculum pro tunc, Pater, Domine Cœli, & terræ, contigit, quando unigenitus tuus filius,

Filius, factus homo extremos inter dolores pendebat, & moriebatur in cruce; propter quid autem huic fuit affixus? peccatum mortale ſe eò compulit, & in monte Calvariæ ſemel duntaxat.

7. Peccator renovat terribile hoc Spectaculum, & toties quoties committit peccatum mortale, in iſto ex malitia perſeverans; ruſſus enim crucifigit filium tuum unigenitum, & ipſum habet oſtentui: & tu, o Deus patiens es? peccator mundi Redemptorem injuriat, utpote SS. Sacramentorum Auctorem; nam per Baptiſmum fuit ſuſceptus tamquam filius, & hæres regni cœleſtis: graviter autem peccando ſcienter, & voluntariè ſe facit mancipium diaboli. Per confirmationem fit propugnator, & promotor fidei: graviter peccando hanc maximè labefactat; & tu Deus patiens es?

8. Per ſumptionem Sacratiſſimæ Synaxis homo cum Redemptore ſuo unitur, ut in ipſo, & ipſe in ſe maneat; per peccatum mortale ſe unit cum diabolo, quin & redditur miſerabile hujus mancipium; & tu Deus ad hæc omnia patiens es? dico ampliùs: non recuſat uni-

unigenitus tuus filius, occultatus ſub ſpeciebus Euchariſticis, ſuſcipi ab homine, qui actualiter eſt in mortali peccato: manet nobiſcum ſub modo incomprehenſibili, dum a tot, nedum infidelibus ac hæreticis, ſed & fidelibus frequentiſſimè injuriatur, & tu Deus patiens es?

9. Aulæ Regum, ac principum abundant miniſtris, & famulis: hi omnes diu, noctuque debent eſſe parati ad quæcunque mortalis hominis ſervitia. Tuus unigenitus filius, verus Deus & homo, ſub ſpeciebus Euchariſticis continuò adeſſe dignatur: Angelici Spiritus ſibi aſſiſtunt, ſe profundiſſimè adorantes; tui quoque fideles comparent, multi autem, heu nimis multi, ſub qua devotione, pietate, ac reverentia? & tu tamen ad hæc omnia, ſeu manifeſtos exceſſus patiens es?

10. Repeto, o Deus, ſuper quo magis mirabor? an ſuper tua infinita patientia, an ſuper miſericordia? quando dignaris hanc peccatori facere, cor ejus contritum, & humiliatum reſpicis; quando autem exerces patientiam, & quidem ad longum, aut longius temporis

poris ſpatium, mihi nihil ſuper eſſe video, niſi illam adorans, in timore per omnes vias meas ambulem, nè in me deinceps objectum conſpicias, ex quo noviter deberes exercere patientiam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXXIV.

11. TUam, Domine Deus, miſericordiam in æternum cantabo, & ſimiliter in æternum adorabo tuam infinitam patientiam; vidi, qualiter peccator ſe erga te gerat: cognovi, qualiter tu eum in multa patientia ſuſtineas; ubi enim jam actu, & in æternum ingemiſcerem, niſi erga me toties, & tam diu fuiſſes patiens?

12. Si palàm, & in præſentia plurimorum hominum, ita fuiſſem locutus, *malo in anima habitare mortale peccatum, quàm ſanctificantem Dei gratiam. malo eſſe Dei inimicus, quàm amicus: malo in æternum eſſe cum lucifero, & angelis ejus, cunctiſque reprobis, quàm eſſe inter Electos, & Dei amicos: malo in æternum eſſe, & pati in inferno, quàm eſſe in Cœlo, & ſub*

 viſio-

viſione beatifica, & frui cœleſtibus gaudiis . Si, inquam, ſemel ità palàm fuiſſem locutus, quid dixiſſent talia audientes? contremuiſſent ſinguli: horruiſſent & ipſi dœmones; o Altiſſime! hæc de ore nunquam dixi, dixi, tamen per opera, quando, ſciens, quod divinam Majeſtatem tam graviter offenderim, in peccato perſeveravi: tu tamen fuiſti patiens, & me ſuſtinuiſti in multa patientia.

13. Si terreno Regi, vel Monarchæ intuliſſem gravem injuriam, quot humilitatis actus, quot preces debuiſſent contingere, ut indulgentiam, priſtinamque gratiam conſequerer? Si eundem Regem, vel Monarcham offendiſſem pro ſecunda duntaxat vice, nè dicam, tertia, & ampliùs, in tali caſu quis mortalium fuiſſet auſus pro me coram Rege, aut Monarcha verbum dicere? quin imò non fuiſſet tolerata nominis mei pronuntiatio: & tamen Rex terrenus vel Monarcha eſt homo mortalis: injuria ſimiliter, quam infero, habet limites, quia in ratione offenſæ quid infinitum dici non poteſt.

14. Jam autem offendi te Deum Altiſſi-

tiſſimum: & quis es tu? & quis ſum ego? & quia te offendere non timui, peccatum meum in ratione offenſæ infinitatem habet; tu tamen fuiſti patiens. Tu es Deus æternus, immenſus, & omnipotens: in te eſt infinita pulchritudo, bonitas, & ſanctitas, ego ſum vilis terræ vermiculus; pulvis, & cinis, inane in conſpectu tuo nihilum: quin imò per peccatum factus ſum quid nihilo deterius; quia in nihilo nec habes complacentiam, nec diſplicentiam: peccatum autem odio maximo proſequeris; & tamen fuiſti patiens.

15. Ah quantùm nunc optarem, ut hæc verba, quæ corde contrito, & humiliato coram te loquor, *doleo, quod te Deum meum, & Dominum meum, te ſummum, & unicum bonum offenderim,* tantam haberent efficaciam, quàm efficacia ſunt verba, quæ Sacerdos coram S. Altari pronuntiat, ut perinde panis tranſſubſtantietur in ſacratiſſimum corpus, & vinum in pretioſiſſimum filii tui unigeniti ſanguinem! quantùm optarem, ut hæc verba, *doleo, quod te Deum offenderim*, eſſent tam efficacia; & quatenus natura mea peccaminoſa

 con-

converteretur in eſſentiam ſanctam, & tibi placentem! quin imò quatenus anima mea per pretioſiſſimum Jeſu Redemptoris mei Sanguinem a peccatorum maculis abluta, & perfectè purificata ſolveretur a mortali corpore, tranſiretque ad te Deum videndum, & adorandum facie ad faciem, poſtquam me diu ſuſtinuiſti in multa patientia:

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXXV.

De occultis Dei judiciis, infinitaque ejus juſtitia.

1. QUàm incomprehenſibilia ſunt judicia tua, o Altiſſime, & quàm inveſtigabiles ſunt viæ tuæ! quis ſenſum tuum cognovit? aut quis fuit tibi conſiliarius, quando creans hoc univerſum, omnia feciſti, & ordinaſti in vero judicio, ſummaque juſtitia? intuens Cœlum, & terram, intelligo, quòd unum, & alterum tuam divinitatem, ſempiternamque virtutem annuntient, ſeu ſint opera tuarum manuum. Sed hoc ſciens ab intra moveor, ut noſſem, cur non plures mundos creave-

veris, aut ſaltem cur non velis unum adhuc mundum condere, in quo ſinguli homines, etiam prout in via peregrinantes ad terminum, jam eſſent Sancti, teque inceſſanter laudarent, qualiter fecerunt Cœleſtes Spiritus, qui perſeveraverunt in gratia; nam ſecundùm dictamen mei imbecillis intellectus ejuſmodi creatio cederet ad majorem tuam gloriam; quia nihil penitus huic contrarium, nempe peccatum intercurreret.

2. Ecce ſic ego judicarem: ſuſpenſo autem intellectu dicere debeo, *juſtus es Domine, & rectum judicium tuum*, dum alterum mundum non creas, ubi ſinguli homines in ſanctitate, & juſtitiam tibi tibi ſemper ſervirent. Quoad mundum actu creatum per ſingula ſæcula fuerunt homines ſub ingenti millionum numero; plures de his te non cognoverunt, & non adorarunt: & iterum intellectus mihi ſuggerit, cur creaveris iſtos, & alios reliqueris in abyſſo nihili, dum tamen hi ipſi fidele tibi præſtitiſſent obſequium, & pro tota æternitate ad tuam majorem fuiſſent gloriam. Ita nempe ego putarem: *ſed juſtus es Domine*.

3. In principio mundi munera tibi offerebant Cain, & Abel: hujus dona, utpote optima, & de optimo corde data reſpexiſti, & deſpexiſti alterius; noveras, quòd Abel, ſi diu ſuper terram vixerit, diu optima tibi ſit oblaturus munera: permiſiſti tamen, ut ipſemet in juventute victima mortis fieret ſub perfido fratre, & hunc diu reliquiſti in vita ſuperſtitem. Prope conſummationem ſæculi exibit hominum ſceleſtiſſimus Antichriſtus, & ingentia mala faciet; a te autem aliquamdiu tolerabitur. Domine, cur facta ſunt, & fient hæc omnia? cauſam ego non novi: iſtud ſcio, quod *rectum* ſit *judicium* tuum.

4. Eodem tempore nati fuerunt Eſau, & Jacob: neuter quidquam boni adhuc egerat; & Jacob dilexiſti, odio autem habuiſti alterum. Iterum, eodem loco, & tempore naſcuntur duo infantes: unus abſque baptiſmi gratia moritur, & viſione tua in æternum debet eſſe privatus; alter abluitur ab originalis peccati macula, & quàm primùm moriens abſque ullis perſonalibus meritis ſit æternæ hæreditatis particeps. Rurſus, hìc moritur infans in cunis,

cunis, de quo noſti, quòd, ſi ad virilem ætatem pertingeret, multa pro tuo honore eſſent preſtiturus obſequia; ibi infans in vita conſervatur, adoleſcit, peſſimis moribus imbuitur, multis vivit in ſcandalum, & tandem ſuam, aliorumque animas in interitum præcipitat: & hæc omnia tu Deus prænoveras; voluiſti tamen, ut unus infans in cunis moreretur, alter verò per multos annos, quamquam male, aut peſſimè vivens, in vita eſſet ſuperſtes: & cur? aliud non ſcio, niſi adorare tua inſerutabilia judicia.

5. Judas Iſcariotes, poſtquam peccatum maximum peccaviſſet, tradens nempe inſenſiſſimis hoſtibus tuum unigenitum filium, & mundi Redemptorem, ab ipſo adhuc amicus vocatur: & quid pro emolliendo corde ad veram pœnitentiam potuiſſet eſſe fortius? non tamen convertitur, ſed deſperat, & laqueo ſuſpendens ſemetipſum æternaliter interiit. Latro è cruce pendens, bona fortè pauca fecit, bene autem mala multa: pro modiciſſimo tempore agit pœnitentiam, & audit ab ipſomet Deo homine, *bodie mecum eris in paradi-*

radiſo. O incomprehenſibilia judicia! hæc ò Altiſſime adorabo in omnibus viis meis, hæc metuam: & propterea longè abſit a me, ut quempiam in malum judicem, quia neſcio, quid tu de homine diſpoſueris.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXXVI.

6. JUdicia tua Deus, ſunt abyſſus multa; ſi vellem integrum mare in ſcrobem tranſponere: aut ſi tentarem orbem terrarum dimetiri duobus digitis, utrumque eſſet actio, vel intentum, ex quo forem riſu omnium digniſſimus; & tamen priùs unum & alterum in ipſo opere exequerer, quàm poſſem minimam partem de judiciorum tuorum abyſſo in meo intellectu capere.

7. Nobiliſſimam dediſti naturam angelicis Spiritibus, & ideo in ortu ſuo ſplendorem præſeferebant maximum; multi autem, id eſt, ſub ingenti millionum numero, peccaverunt, ſed non niſi per cogitationem momentaneam: & his non peperciſti; ſubjeciſti autem eos flammis infernalibus abſque miſeri-

cor-

cordia: tibi idem erat de Cœlo præcipitare; ſi peperciſſes; te ſine fine laudaſſent, & tuam cum reliquis beatis ſpiritibus magnificaſſent gloriam: volens non parcere, prænoveras, illos fore perpetuos tuæ divinæ majeſtatis blaſphematores: & nunc ſunt, teque blaſphemare non ceſſant; tu tamen non parcendo *juſtus es Domine*.

8. In paradiſo poſuiſti Adamum, & conſtituiſti caput humani generis: dediſti ei leve mandatum, ut non comederet de fructu arboris ſcientiæ boni, ac mali: pro eo autem faciliter adimplendo tot, tantiſque donis, & gratiis a te erat munitus: peccavit tamen, ſe, totamque poſteritatem in interitum præcipitans; & tu Deus facis miſericordiam, mittis Redemptorem, tuummet unigenitum filium: homo itaque natura inferior miſericordiam conſequitur: angeli, qui peccaverunt ſemel per cogitationem unicam, ſunt abſque Redemptore, & abſque miſericordia; tu autem Domine *juſtus es, & rectum judicium tuum*.

9. Si quiſpiam hujus mundi Monarcha nonaginta novem viros, quos

de nobiliſſimo oriundos ſanguine, antea tamquam amicos dilexit, ex cauſa quidem juſta mitteret in carcerem, & hic interire ſineret; & interea cujuſdam ſervi, qui quaſi ex eadem cauſa in carcerem fuit detruſus, ità eſſet memor, ut pro iſto exinde liberando, & in omnimodam libertatem reſtituendo, daret filium ſuum unicum, & regni hæredem, qui inſuper pro ſalvanda ſervi vita deberet propriam animam ponere, ſi, inquam, quiſpiam Monarcha quoad 99. viros nobiliſſimos, quoad noviſſimum ſervum, & ſuummet filium, ità procederet, tunc reclamàret omnis humana ratio, utpote dictans, quòd non conveniat, ut pro ſervo detur Monarchæ filius: & ſi tamen Monarcha velit ſervo gratiam facere, ut hanc ſimiliter, imò potius faciat illis 99. viris. Domine Deus! hæc & plura feciſti mihi, & ſingulis de humano genere: nobis enim feciſti miſericordiam, quam non feciſti tot angelis: & hic quis ex iſtis, quis ex nobis cauſam a priori aſſignare poterit? nemo ex omnibus, & neque omnes ſimul. Hoc ſcio, quòd *juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.*

10. Pec-

10. Peccaverunt angeli, non niſi per cogitationem unicam: & tu Altiſſimus non pepercisti, ſed quàm primùm feciſti proceſſum abſque miſericordia: peccavi ego, non ſemel, ſed ſæpius, imò non ſcio, quoties; delicta enim quis intelligit? & mihi parcis; dignaris inſuper vitam æternam, & tuammet beatudinem promittere: quem in finem me conſervas, & per ſingulos dies facis gratiam, dummodo pro iſta ſupplicem. Et ità quoad me, quoad quemlibet hominem, & quoad lapſos angelos procedens juſtus es, quia Deus es, qui non potes quidqam velle, aut diſponere, niſi quod juſtum eſt, rectum & ſanctum.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXXVII.

11. PRO magnis obſequiis, quæ in mundo præſentantur, frequenter fit modica, aut penitus nulla compenſatio: & teſtis eſt quotidiana experientia. Aliter tu Deus, & Dominus exerces juſtitiam; præbeo proximo meo ex amore tui potum aquæ frigidæ (que-

nam autem quoad hunc actum ſuperanda eſt arduitas)? & tu pro eo mercedem promittis, & centies majorem, quàm actus de ſe mereretur. Quid ſi majora ex amore tui facerem? quid ſi quotidie intereſſem SS. Miſſæ Sacrificio? aut, ſi hoc ex gravi cauſa fieri non poſſet, ſaltèm intentionem meam jungerem cum ſingulis Sacerdotibus, qui per totum orbem catholicum Hoſtiam immaculatam tibi Sacrificant, an tunc forem abſque mercede?

12. Tu, qui juſtus, & miſericors es, intentionem de præſtando opere bono compenſas: quid eſſet, ſi ego frequentiùs, ſub fide viva, ſpe firma, charitate perfecta, & humiliato, ac contrito corde ad SS. Sacramenta pœnitentiæ, & communionis accederem, & ad id ipſum verbo, vel ſaltèm bono exemplo inducerem alios? quid ſi me pro viribus impenderem ad exercendum ſpiritualia, vel corporalia miſericordiæ opera? utroque enim modo pauperes nullibi deſunt.

13. Si tu Deus opt. max. non ſinis minima opera eſſe abſque mercede, quid eſſet, ſi me seriò impenderem ad

vin-

vincendas paſſiones animi, ad prohibendam in omni occaſione linguam a malo, ad exercendam patientiam in tribulationibus, quæ in vallè lachrymarum ſunt inevitabiles: verbo, ad perfectam reſignationem in tuam voluntatem; quid, inquam, eſſet, ſi ejuſmodi actus frequentarem per dies ſingulos? bone Deus, quouſque ſe tua extendit juſtitia, dum talia opera longè ultra horum valorem intrinſecum prœmiare dignaris? aliam mundus ſuis operariis mercedem dare conſuevit; hìc vigilatur, laboratur, ſudatur: in fine autem quot preces, quot paſſus pro habenda mercede frequentiſſimè ſunt neceſſaria? labor autem in bonis, & ad tuam gloriam eſt dulcis, brevis, & momentaneus; pro mercede verò das bonum infinitum, & æternum.

14. Quomodo iſta ſibi cohærent, *labor brevis, ac momentaneus* & pro mercede *bonum infinitum, bonum æternum*? ità tamen tu juſtus, & infinitè miſericors Dominus manum tuam in retribuendo dignaris extendere; & propterea credo, quòd, ſi apud electos tuos in Cœlo dolor eſſet poſſibilis, hunc

ex

ex eo capite conciperent, quia pro gloria tua plus non laboraverunt, aut in via tribulationum plura paſſi non ſunt, in claritate nimirum actu videntes tuam infinitam juſtitiam, ſecundùm quàm pro modico, & momentaneo labore bonum immenſum, & æternum largiris; & quidem ſub tali ordine, ut unus electus nullo modo concipiat diſplicentiam de majori gloria alterius, quia unuſquiſque ſicut ſuper propria, ſic ſuper alterius gloria ſummum habet gaudium, quavìs unus altero in ea ſit ſublimior; nam, prout ſtellæ in claritate, ità tui electi in gloria differunt.

15. O Cœlum! ò terra! hìc fatigatur, & curritur, merces autem eſt modica, vel penitus nulla: aut ſi datur ſecundùm conventionem factam, quantæ naſcuntur, & palàm monſtrantur invidiæ? ò Cœlum! laboro pro te Deo meo, & Domino meo abſque ſudore, abſque violentia, imò ſuaviter? ac pro momento temporis; & tu pro mercede das bonum abſque menſura, & abſque termino, quia regni tui non erit finis. Dixi igitur, *nunc cœpi*, impoſterum dies non labetur, qua non ero memor, quòd

quòd leve, & momentaneum tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operetur in nobis.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXXVIII.

16. SI mihi diceret purus homo, vel etiam angelus, tempus eſſe venturum, quo debebo de omni otioſo verbo rationem reddere, hæc annuntiatio mihi videretur mira, aut penitus incredibilis: nunc autem illud tu enuntiaſti, qui es æterna veritas: & de te ſcio, quòd Cœlum, & terra tranſeant, non autem tranſeat unicum verbum, ſive iſtud immediatè, ſive mediatè, per Prophetas nempe, aut Apoſtolos dixeris.

17. Tua igitur infinita juſtitia poſtular, ut pro omni verbo otioſo reſpondeam: & dum ità, heu me! quomodo comparebo ante tuum tribunal tremendum, dum tu meliùs, quàm ego ipſemet, peccata mea noſti? in hoc mundo contingit quidem frequenter, ut leves exceſſus, vel defectus judicium & pœnam ſubire debeant, non raro autem

tem graves exceſſus dimittuutur abſque pœnu, & ſingulariter, quando tales ſunt ſuperiores, qui non habent conſcientiam, vel animoſitatem, aut ipſimet velunt mancipia ſe ſinunt trahi ab humanis reſpectibus, & perinde fiunt mutis canibus ſimiles.

18. Coram tua, ò Altiſſime! infinita juſtitia res aliter agitur; magni, & parvi exceſſus trahuntur ad judicium, debent irrevocabili ſubeſſe ſententiæ, & ſubire pœnam, quam juſtitia tua poſtulat: nihil apud te manet inultum; dum enim pecco, præſumo, contra iilam agere, qui tamen tum quoad eſſe, tum quoad conſervari, verbo, quoad omnia tibi ſubjicior: & quia ago çontra tuam juſtitiam, hinc iſta poſtulat, ut pro actu malo, ſeu tranſgreſſione tuæ legis ſatisfaciam: aut igitur peccatum ex me, & per me caſtigabo, & delebo, aut ſecùs tu contra illud proceſſum in forma judicii ſtrictiſſimi facies. Hìc non datur medium.

19. O ſi ego, o ſi mecum omnis homo hanc infallibilem, & irrevocabilem veritatem ſeriò perpenderet, *nullum peccatum, ſit magnum, ſit parvum, coram*

ram te juſtiſſimo Judice inultum dimittitur! taliter enim quis ex nobis, qui ſaltèm modicum erga te habet amorem, auderet ſe determinare ad ſcienter, & voluntariè committendum, nè dicam lethale, ſed duntaxat veniale peccatum? Job vir ſecundùm cor tuum, verebatur omnià opera ſua, quia noverat, quod nemo in conſpectu tuo juſtificetur, ſi tu in judicium tuum juſtiſſimum intraveris.

20. Sumus per omnia ſoliciti, ut juſti ſimus in oculis noſtris & propterea tantò citius, & frequentiùs in peccata prolabimur, quia tremendi tui, juſtiſſimique judicii vivimus quaſi immemores: putamus, quod ſufficienter ſatiſfaciamus tuæ juſtitiæ, dum poſt aliquod temporis ſpatium confitemur peccata, aut ſi horum confeſſio ſit frequentior, dum iſtam quaſi ex conſuetudine peragimus, & perinde grande eſt periculum, an adſit debita peccatorum cognitio, & deteſtatio, verus dolor cum efficaci propoſito. Ex quo capite ſatisfactionem pro peccatis jam monſtrare poſſumus, & præſertim exiſtimantes, ſufficere, dummodo in articulo

ticulo mortis habeamus SS. Sacramenta ſuſcipiendi gratiam? & quoad hoc.

21. Omnino eſt poſſibile, ut etim in noviſſimis, ſeu in mortis hora fiat culpæ, & pœnæ remiſſio; latro enim e cruce pendens, & ex toto corde dolens de peccatis ſuis utrumque impetravit; an autem, quod eſt poſsibile, & contigit ſemel, vel etiam aliquoties, ſemper continget? & ideo, o Deus! hanc mihi largire gratiam, ut iſtam veritatem continuò habeam ante oculos, *qualiter nempe nullum peccatum, ſive magnum, ſive parvum, infinitam tuam juſtitiam abſque pœna poſſit evadere, ſicut nullum opus bonum, etiam reſpectivè minimum, apud te manet abſque præmio*. Et hujus veritatis ſeriò memor, ſtudebo pro peccatis meis, dum tempus eſt, per internos, & externos pœnitentiæ actus ſatisfacere, & deinceps majorem in omnibus viis meis gerere ſolicitudinem, ne te Deum meum, & Dominum meum per ullum peccatum offendam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM LXXXIX.

De immenſitate Dei, & actuali ejus in omni loco præſentia.

1. MAgnus es, Domine, & immenſus, & magnitudinis tuæ non eſt finis: quò ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? ſi aſcendero in Cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum ades: ſi ſumpſero penas meas diluculò, & habitevero in extremis maris *etenim illuc manus tua deducet me & tenebit me dextera tua*. Sic nempe tu Deus magnus es, & immenſus, quia Cœlum, & terra non poſſunt te capere.

2. Ut tuam immenſitatem, ò Altiſsime! in ſimplicitate mea aliqualiter intelligam, mihi imaginor, quòd poſt completam creationem iſtius mundi emiſeris angelum, qui ſub unius horæ ſpatio circuitum huic ipſi mundo correſpondentem debeat facere, in ſpatiis nempe imaginariis: conſequenter per 24. horas feciſſet tot circuitus, qui pro locandis 24. mundis ſufficerent. Imaginor mihi ulterius, eundem angelum

lum a creatione Mundi ſuum adeo velocem motum in hanc uſque horam proſequi: Domine Deus, quot milliones circuituum actu feciſſet? & tamen adhuc ſe inveniret intra tuam immenſitatem; illa namque ſpatia imaginaria reipſa quidem nihil ſunt, tu nihilominus in iſtis es præſens, non quantitate molis, ſed quantitate virtutis: & propterea poſſet ille angelus per decies centus mille annos ſuum circuitum facere, necdum tamen de tua immenſitate exiret.

3. Magnus igitur es Domine, & magnitudinis tuæ non eſt finis: eam proinde adorare poſſum, & adoro humillimè, capere autem nullo modo, quoniam Cœlum, & Cœli Cælorum te non capiunt. Sed erravi, inquiens, quòd non poſſim te capere; tu enim Deus magnus, & immenſus es charitas, *qui autem manet in charitate, manet in Deo, & Deus in eo*: conſequenter penes me ſtat, ut te capiam, imò tibi eſt in deliciis, ut ſtudeam te capere: quia ſicut es charitas, & bonum ſummum, ac unicum, ſic tibi complaces, ſi te ex toto corde, ex tota anima,

ma, & in omni fortitudine diligam. Sit igitur; te unicè, & ſuper omnia diligo, ut, dum es magnus, & immenſus, in me maneas, & ego in te.

4. O Altiſſime! Cœlum, & Cœli Cælorum te non capiunt, & tu totus cum omnibus tuis in creatis perfectionibus in corde meo habitare dignaris? quin imò tu ipſemet cor meum pro facienda in iſto manſione deſideras. O quot paſſus in via perfectionis jam feciſſem, ſi ſæpius, & feriò fuiſſem memor tuæ intimæ in corde meo præſentiæ!

5. Quomodo fuiſſet poſſibile, ut contra tuam divinam majeſtatem quid mali agerem, ſi habuiſſem hanc veritatem altè cordi meo impreſſam, qualiter nempe tu ſis mihi adeò præſens, qui vides, & audis omnia, pui vias hominis, bonas, & malas in omni loco conſideras? quomodo fuiſſet poſſibile, ut mea ſolatio inter creaturas, & in vanitatibus quærerem, ſeriò nempe memor, quòd authorem veræ conſolationis, completique gaudii in medio cordis mei actu, & inceſſanter poſſideam, quàm diu in charitate manſero?

& quis,

& quis, aut quid de mundo me deinceps a charitate ſeparare poterit?

6. Solatium. quod hauritur ex intima tua in corde præſentia, quamvis duret duntaxat per horam ſub amoroſo colloquio inter meditandum, orandum, aut contemplandum tuas veritates æternas, hoc, inquam, ſolatium eſt magis æſtimabile præ omnibus mundi gaudiis, in quibuſcunque demum objectis iſta conſiſtant: quid jam erit, dum ſolatio tam æſtimabili nedum pro hora, ſed pro tota die, imò pro toto vitæ decurſu frui mihi conceditur, dummodo in charitate manens, me ampliùs in fide viva exerceam?

Ave Maria

SOLILOQUIUM XC.

7. SI cuncti homines, & angeli omnem ſibi poſſibilem impenderent induſtriam, quatenus minimum (ut ità in ſimplicitate mea loquor) gradum tuæ magnitudinis, ò Altiſſime! comprehenderent, facerent idem, ac ſi vellent oceanum in ſcorbem tranſponere; & tamen tu excelſus, & immenſus dignaris

gnaris ſuper me; qui ſum pulvis, ac cinis, & tamquam nihilum in conſpectu tuo, aperire oculos, ac mei meminiſſe, & quidem tali modo, quem ſola infinita bonitas, & immenſa charitas ſuggerere potuit.

8. Ego eram iræ filius, & vas aptum in interitum: & tu Deus magnus, ac immenſus deſcendiſti de throno tuæ majeſtatis, & factus es homo. Cœlum, & terra te non capiunt, & tu occultans divitatem converſaris cum mortalibus, operibus tuarum manuum. Tu excelſus, & immenſus imples omnia, & pro me peccatore vir dolorum es factus, in quo non erat ſpecies, neque decor: quin imò ut ego exaltarer, & quidem uſque ad participationem tuæmet hæreditatis æternæ, factus es virorum noviſſimus: viderunt enim te, ſed te non cognoverunt.

9. Ego erravi, ſicut ovis, quæ periit, & tu magnus, immenſuſque Deus factus es homo: me ſub tot laboribus, & ærumnis quæſiviſti, meam iniquitatem portaſti, & tandem tuammet pro me poſuiſti animam: quid jam eſt admiratione magis dignum? an quòd

quòd Cœlum & Cœli Cœlorum non te capiant, an verò, quòd pro me peccatore, & iræ filio te uſque adeò humiliaveris, ut fieres homo, & hæc faceres? unum, & alterum omnem intellectum creatum, & creabilem tranſgreditur: ad ſecundum vero infinitus amor te potuit impellere.

10. Quia in charitate perpetua dilexiſti hominem, hinc tibi magno, immenſoque Deo non erat ſufficiens, ut aſſumeres formam hominis, & poſt vitam in laboribus, & ærumnis per 33. annos tranſactam, funderes omnem pretioſiſſimum ſanguinem, tandemque & animam poneres; voluiſti enim in omnibus mundi locis, & uſque ad conſummationem ſæculi ſub modo penitus incomprehenſibili eſſe nobiſcum. Cœlum, & terra te non poſſunt capere, & jam ſub qualibet conſacrata Hoſtia ades verus Deus, & homo: & in omnibus per totum orbem terrarum conſecratis particulis es idem ipſe, quem Cœlum, & terra non capiunt: & ſi particulæ dividantur in partes, tu ſub fragmento integer perſeveras. O Sacramentum incomprehenſibile! o ineffabile amoris myſte-

myſterium! ſub modicis ſpeciebus Euchariſticis adeſt, qui implet Cœlum, & terram: qui homo factus animam ſuam pro me poſuit: qui ex impulſu infiniti amoris mecum, & cum omni fideli homine ità eſſe dignatur; o Deus factus homo, o Jeſu, aut fidem depoſui, aut te non amare non poſſum.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XCI.

11. MAgnus, & immenſus es tu Spiritus Paraclitus, qui a Patre, filioque procedis, & es Deus verus de Deo vero: totus es in Patre, & totus in filio: & totus Pater, totuſque filius eſt in te; nullus extra quemlibet eſt. Et dum es Deus magnus, ac immenſus, dignaris in corde meo manſionem facere, ubi tamen Cœlum, & terra non te capiunt, ut in corde meo dilectionem exerceas; dum intra deitatem non diligis, quia es infinitus, æternus, & eſſentialis Amor Patris, & filii: en igitur paratum cor meum, en parata anima mea, ut in me habites.

12. Quia procedis de voluntate

Patris, & filii, Spiritus es: & dum in anima mea, cùm, ad tuam creata imaginem, Spiritus ſit, habitare dignaris, aliqualiter capio; quia autem immenſus es, tuam in ea mánſionem non poſſum capere. Sed, dum inſuper meum corpus tamquam templum eligis, ut in eo habites, nihil niſi credere eſt mihi reliquum. Tu igitur, o Sancte Spiritus! habitas in corpore meo, dum ego de iſto novi, quòd ſit pulvis, & cinis, futuraque vermium eſca? & quia tamen de tua in corpore meo manſione ſum certiſſimus, quàmdiu gratia tua mecum permanet, o quàm longè aliter pro omni tempore fuiſſem ſolicitus, ut corpus meum a quacunque macula cuſtodirem immune, ſi hanc veritatem ſæpius, & seriò corde recogitaſſem!

13. O Deus infinitæ bonitatis, & immenſi amoris! per gratiam Sanctificantem das temetipſum totum animæ meæ: & quamdiu in illa permaneo, me tamquam filium adoptivum cum Deo Patre conjungis, quemadmodum tu es infinitus, & eſſentialis Amor æterni Patris, & filii.

14. Nunc primùm clariùs intelli-

go, quanti quilibet homo æſtimari debeat, gratia nimirum ſanctificante prædditus, quoniam tu, o Sancte Spiritus, eum agnoſcis, & diligis tamquam tuum templum, & velut filium adoptivum cum Deo Patre conjungis. Eliſabeth mulier Sancta Mariam Virginem pronuntiabat beatam, quando in ſuo Virginali, puriſſimoque utero Verbum Patris portabat: etiam quilibet homo, particeps nempe gratiæ Sanctificantis, portat te Deum verum, te Deum magnum, ac immenſum in ſua anima, quin & in corpore.

16. O felicitas! quam ſufficienter æſtimare non poteſt ullus mortalium: in perſonam de mundo regnantem, dum pretioſis veſtibus, gemmis, lapidibuſque exornata, palàm comparet, omnes convertunt oculos: & hoc eſt vanitas; & quia talis eſt a mundo plurimùm ſuſpicitur. Non autem eſt vanitas, ſed ſumma felicitas, æternaque veritas, dum homo vivens in gratia Sanctificante, te, o Sancte Spiritus, portat in anima ſua, & in corpore; habet enim theſaurum, licet coram mortalium oculis inviſibilem, ſuper omnes mundi the-

ſauros, & taliter coram toto Cœlo ſplendeſcit.

17. Ah igitur immenſe Deus, Spiritus Sancte, quem Cœli, & terra non capiunt, veni, & habita in anima mea, & in corpore meo: illumina me, dirige me, conforta me, ut animam meam, & corpus meum contra omnem impuritatem cuſtodiam. Veni Creator Spiritus, & cor meum igne divini amoris magis accende, & inflamma, ut te, æternum Patrem, unigenitum Dei, de quo utroque procedis, ſuper omnia, & in æternum diligam.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XCII.

De Dominio Dei.

1. *CRedo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli, & terræ*: & ita credens confiteor, quòd tu ex virtute creationis plenum in omnes creaturas dominium habeas, & ſis ſupremus univerſi Dominus, erga quem, quidquid extractum eſt de nihilo, & eſſe cœpit, ſuam ſubjectionem debet agnoſcere, & tantò magis, quò nobi-

lius

lius eſſe habet: quænam autem creatura poſt intellectuales ſubſtantias plus accepit præ ipſo tam nobiliter creato homine?

2. Diu, quia ab æterno latebam in abyſſo nihili, & in iſto quantùm ad me debuiſſem eſſe perenniter; tu autem factor omnium me de eo extraxiſti, & feciſti ad tuam imaginem, ſpiritualem nempe, immortalemque mihi dans animam, cum qua ſicut intellectum, ac perinde rationis uſum, & voluntatem præ aliis creaturis non viventibus, aut irrationabilibus habeo, ſic præ his omnibus meam erga te ſubjectionem debeo agnoſcere.

3. Si igitur quælibet creatura, etiam minima atomus, æſtimari meretur, quia eſt tuarum, Domine, opus manuum, quid nunc cogito, dum me hominem feciſti, & ordinaſti ad finem ſupernaturalem, nempe ad poſſeſſionem regni cœleſtis, & interminabilis, pro quo tamen non niſi modica, imò non niſi dulcia, quia dilectionem, & mandatorum tuorum obſervantiam, poſtulas? o Deus, ſi centum, ſi mille linguas haberem, pro creatione mei taliter fa-

cta non poſſem ſufficientes tibi agere gratias: ſi haberem centum, & mille corda, non poſſem te, prout mereris, diligere.

4. Tu es Deus meus, & Dominus meus, cui ſicut ſecundùm corpus, & animam plenè ſubjicior, ſic impoſterum ſubjicio omnes meas cogitationes, verba, & opera; dediſti quidem mihi liberum voluntatis arbitrium, ſed non ad eum finem, ut perinde recedam a te Deo meo, & Domino meo, bene verò, ut magis pugnem, & vincam, pluraque congregem merita pro augmento cœleſtis gloriæ. Tuus igitur ſum, o Altiſſime, ſecundùm corpus, & animam, & maximè ſecundùm voluntatem, a qua quàm maximè dependet totum æternæ ſalutis negotium; ſi enim ſecundùm voluntatem tibi perfectè ſubjectus eſſe ſtuduero, infallibiliter per tuam gratiam non faciam opera, niſi tibi placita: atque ſic in æternum ero ſalvus.

5. Fixum itaque eſto: voluntas, quam mihi dediſti, deinceps tua ſit; quare impoſterum non petam, ut me exaltes, vel humilies: ut me ſinas inci-

cide-

cidere in hominum judicia, vel de his eripias: ut mihi immittas infirmitatem corporis, vel in iſto ſerves incolumem: ut diu vitam meam inter multas tribulationes, quia in valle lachrymarum, prolonges, aut brevi facias me ad æternitatem tranſire. Quoad hæc omnia tu fac, quod eſt placitum in oculis tuis; tu Dominus es, & ego ſum ſervus tuus; quidquid autem diſpoſueris, novi, non poſſe eſſe niſi optimum.

6. Dixi, tu Deus, & Dominus es: fac igitur, quæcunque tibi ſunt placita; mihi ſufficit hæc infallibilis veritas, quòd tu omnia, nihil penitus excipiendo, pro meo bono velis, & ordines, quamvis id actu clarè non cognoſcam, quia peregrinor ſub fidei lumine. Hoc autem actu novi, ut certiſſimum, quòd, poſtquam me ad tuam creaſti imaginem, unicè, & feriò velis, ut poſt breves dies ſuper terram, & poſt leve, ac momentaneas hujus vitæ tribulationes tuæmetipſius infinitæ beatitudinis fiam in æternum particeps.

Ave Maria

SOLILOQUIUM XCIII.

7. QUocunque converto oculos meos, video, quòd omnia o Supreme Cœli, & terræ Monarcha, voluntatem faciant. Oritur Sol, & occidit, mundum illuminans, & innumerabilibus creaturis vigorem tribuens. Similiter quatuor elementa ſecundùm virtutem, quam ſibi indidiſti ab initio, exactiſſimam tibi præſtant obedientiam, ut rectè per hanc te benedicant, ac laudent. Sol, & luna, & ſtellæ cum elementis &c. faciendo per omnia tuam voluntatem an perinde conſequuntur aliquod præmium?

8. Breves ſunt dies vitæ mortalis, quare priùs revertar in terram, de qua exivi, quàm actu mihi imaginor: & tamen, heu quoties me inobedientem erga te Deum meum, & Dominum meum exhibui, & perinde tibi non præſtiti, obſequium, ad quod aſtringor ex tot titulis? dediſti quidem mihi præ aliis creaturis voluntatis meæ poteſtatem, ſed non ut iſta in malum abuterer; & pro-

& propterea poſuiſti leges, ut per has me induceres ad bene agendum: ſimul autem interminaſti pœnam, ſi leges, & mandata tua tranſgrediar. Et hæc omnia optimè ſciens, heu quoties! me inobedientem exhibui?

9. Tu es Deus meus, & Dominus meus, ſed ſimul clementiſſimus Pater; dum igitur tibi fidelis permaneo, ſeu voluntatem meam tibi. Sacrifico in obſequium obedientiæ, pro mercede regnum æternum mihi promittis; quæ autem hic eſt paritas, vel convenientia? poſtulas a me, & meritò, propter ſolum creationis titulum, ut tibi omnipotenti Deo, ſupremoque Domino ſerviam, meaque voluntate libera utar ad tuam laudem, non verò ad tuæ Majeſtatis offenſam: & dum hæc ex titulo creationis tibi ſummè debita præſto, idque pro paucis vitæ meæ diebus, tu pro mercede das bonum, ſeu regnum immenſum, & interminabile.

10. Ut obedientiam, in qua tu Supremus univerſorum Dominus tibi plurimùm complaces, redderes mihi facillimam, dediſti exemplum, ex quo ſi cor meum non moveretur, deberet eſſe du-

rius ſaxo, aut ferro, ſic enim mundum dilexiſti, ut dares filium tuum unigenitum, & quidem taliter, ut ipſum oporteret fieri obedientem uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & eum exaltaſti, & dediſti ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Hoc jam eſt exemplum, ex quo ſi cor meum non moveretur, neceſſum foret, me depoſuiſſe fidem, aut habere cor adamanti ſimile.

11. Pater, Domine cœli, & terræ; filius tuus unigenitus tibi factus eſt obediens uſque ad mortem; & hoc erat obedientiæ complementum; priùs autem, cùm, prout in mundo ambulans eſſet *Rex regum*, *& Dominus dominantium*, voluit etiam ſe obedientem monſtrare erga parentes ſanctiſſimos: erat enim *ſubditus illis*, & ideo voluntatem eorum fecit per omnia. Quid jam cogito? ego ſum pulvis, & cinis, ſum homo peccator, an adhuc præſumam voluntati tuæ vel in minimo reſiſtere? feci iſtud (& quoties?) confiteor; ex hoc nunc autem te rogo, ut meam rebellem ad te voluntatem compellas, nimirum in ordine ad ſervandum man-

data

data tua non gravia; quatenus nihil aliud cogitem, loquar, & operer, niſi quod tibi Deo meo, & Domino meo eſt placitum.

Ave Maria

SOLILOQUIUM XCIV.

12. Grandis eſt, cœlum inter, & terram, diſtantia, infinita non intervenit; ampliùs autem, quia infinitè, tua o Altiſſime, poteſtas, majeſtas, & dominatio exaltatur ſuper poteſtatem, & dominationem mortalium. Tu dominaris, & gubernas intra infiniti amoris limites: apud nos mortales o quot debent ſub gravi dominorum, vel ſuperiorum jugo ingemiſcere tamquam mancipia! & quando etiam taliter preſſi voluntatem illorum faciunt, o quoties dimittuntur abſque mercede? in caſu autem, quo exactiſſime non implent, quidquid diù, noctùque ſibi mandatur, quanta apud hominos oritur indignatio, quanti furores? a virgis ad Scorpiones proceditur.

13. Omnipotens, ſempiterne Deus, confiteor, quòd peccaverim quapro-

pter ſcienter, & voluntariè me in eo ſtatu jam poſſit, ut pro impetranda remiſſione peccatorum deberem agere pœnitentiam in cinere, & cilicio, in pane, & aqua: corpus meum quotidie flagellare uſque ad ſanguinem, & ſic oculis fontem lachrymarum effundere. Quid multis? quia peccavi, ſecundùm rigorem juſtitiæ omnem, quæ in mundo excogitari poteſt, paſſionem fui promeritus: quoniam, ſi quàm primum contra me proceſſum feciſſes, debuiſſem ſubire paſſionem abſque modo, abſque menſura, & abſque fine, nimirum æterna inferni ſupplicia.

14: Sic, ò Deus, ò juſtiſſimè Judex! potuiſſes ſecundùm tuam poteſtatem, & dominium contra me peccatorem procedere; hunc autem proceſſum non feciſti, o immenſa bonitas! o infinita miſericordia! apud nos mortales poſt ſemel, aut bis commiſſum errorem ſtatim ſecundùm poteſtatem proceditur, & non fit remiſſio: apud te Deum poſt multos, magnoſque exceſſus non dominatur poteſtas, ſed datur adhuc locus amori. Tu poſt peccata commiſſa non præſcribis novam, duramque legem,

gem, ut ſub omni paſſione hujus mundi ad te reverti compellar, ſed ipſemet per tuam gratiam prævenire dignaris, ut agnoſcam peccata mea, & de his ſeriò dolens ſaltem deinceps te ex toto corde, ex tota anima, & in omni fortitudine diligam. Sic nempe tu exerces tuam infinitam poteſtatem, & dominium, quia es Deus immenſæ bonitatis, & miſericordiæ.

15. Sed verbum adhuc ſupereſt; ſi bis, aut ter ex commiſſo errore ageretur contra poteſtatem hominis, fortè contingeret, ut delinquens impetraret veniam, de obtinenda autem nova, majorique gratia, quidcunque ageret, aut qualitercunque ſe humiliaret, nihil penitus poſſet ſibi promittere. Per peccata egi contra tuam, o Deus! poteſtatem: dum dolens, & pœnitens revertor ad te, tu remittis culpam, & ſecundùm intentionem doloris omne debitum, largiriſque majorem gratiam, nè in peccata relabar, quia nempe eſt gaudium coram te, & angelis tuis ſuper peccatore pœnitentiam agente.

16. O Altiſſime! quo tua ſe extendit poteſtas, & dominatio? potes facere

cere omnia, quia Deus es: ſed potes etiam dimittere omne debitum, dummodo peccator iſtud agnoſcat, ſuper hoc seriò doleat, & deinceps ſtudeat te ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus diligere. Sit igitur fixum; ſuper peccatis præteritis doleo, de futuro autem diligo te, o immenſa bonitas, o infinita miſericordia! quia tibi ſola dilectio ſufficit.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XCV.

De Punvidentia Dei.

1. QUemadmodum tu Pater, Dominus Cœli, & terræ, es infinitè ſapiens, bonus, & juſtus, ità es infinitè providus: atque ideo eſt facile, ut tua infinita providentia meum imbecillem intellectum tranſcendat, quia tranſcendit omnem intellectum creatum, aut creabilem. Apud nos infirmos homines, ſi quis infuturum vult eſſe providus, quanta præmeditatio eſt neceſſaria, ut media, nempe facientia ad finem intentum, prævideat, ac ordinet? longè aliam in te agnoſco, & ado-

adoro providentiam; tu enim per unicum intellectus, & voluntatis actum cognoſcis, ac diſponis omnia, & ſimul habes finem intentum.

2. Joſeph a perfidis fratribus venditur, & innocenter mittitur in carcerem: mutantur autem tempora, quibus illi debent eum in throno ſedentem ſuſpicere; ſed & Pater, qui propter amiſſionem filii, diu fuit inconſolabilis, repletur gaudio: & quoad totam hanc mirabilem hiſtoriam tibi Deo, & Domino non fuit neceſſum, ut per plures intellectus actus procederes, prout nos infirmi homines debemus facere, compulſi nempe unum deducere ex altero: tu enim per unum intellectus, & voluntatis actum diſpoſuiſti totam rei ſeriem. Pari autem facilitate poſſes per tuam admirabilem providentiam cum ſingulis hominibus ſimilem proceſſum facere.

3. Quid dico de hominibus, qui fuerunt, ſunt, & erunt? tibi omnipotenti Deo eſt poſſibile, ut crees novum mundum, imò centum, aut plures, & in hoc caſu, ſi tibi foret placitum, poſſes cum unoquoque de tot mundis homine

mine mirabilem inſtituere hiſtoriam, qualiter cum Patriarcha Joſeph proceſſiſti, quia denuo non niſi unum intellectus, & voluntatis actum deberes impendere. Et ideo, o Altiſſime! quàm admirabilis, & incomprehenſibilis eſt tua providentia? quàm ſecurè, quàm tranquillè pro ſemper vixiſſem, ſi seriò ſtuduiſſem me illi in omnibus committere? bene enim intelligo, quòd cuncta, quæ per vitæ meæ decurſum contingunt, tu ab æterno ità diſpoſueris, aut fieri permiſeris, & quidem non niſi ſecundùm infinitam ſapientiam, bonitatem, & juſtitiam.

4. Et cur inter tribulationes conturbor; ac propter iſtos coram aliis conqueror, cùm tamen quotidie ſæpius repetam, *Pater noſter, qui in cælis es,* omnia nempe ad ſummam animæ meæ utilitatem intendens, & ordinans? verum quidem eſt, quòd in mortali vita ſufficienter non penetrem, quomodo paupertas, falſa judicia, calumniæ &c. a te, utpote clementiſſimo Patre, proveniant, ſeu permitti poſſint; ſi enim hoc totum actu clarè cognoſcerem, tua providentia ceſſaret eſſe mirabilis, & in-

incomprehenſibilis: in æternitate igitur videbo, illam eſſe fundatam ſuper tua infinita ſapientia, bonitate, & juſtitia.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XCVI.

5. PRæſentem vitam bene conſiderare, & poſſe verò, extra te Deum, ſummum, & unicum bonum, frui gaudio, videtur, rem eſſe impoſſibilem; continuò videre, & experiri omnium, quæ ſub ſole contingunt, mutabilitatem, vel incoſtantiam, & plena gaudere tranquillitate animi, res eſt difficillima. Quid autem exiſtit in mundo, ubi continua viciſſitudo non interveniat? hodie gaudium, cras dolor, & luctus: hodie in honore; cras in contemptu: hodie dives, cras pauper: hodie amicus, cras inimicus: hodie ſanus, cras in lecto, & æger: hodie vivens, cras mortis victima.

6. Hæc, Domine Deus, eſt vita noſtra ſuper terram, & in lachrymarum valle: atque his ità ſtantibus an fieri poterit, ut concurrat verum gaudium, & poſſideatur plena animi tran-

quil-

quillitas? parce Domine, dum in ſimplicitate mea quæſtionem facio; omnino enim ſieri poteſt, ut etiam ſtante rerum viciſſitudine verum gaudium, & omnimodam tranquillitatem animi poſſideam, dummodo tuam providentiam continuò habeam ante mentis oculos; nam, dum omnia contingunt, prout ego ipſemet volo, me excuſare nullo modo poſſum, quaſi vero gaudio, & perfecta animi tranquillitate non fruerer; jam autem penes me ſtat, ut omnia committam tuæ providentiæ, ac ſimiliter proſpera, vel adverſa acceptem de tuis manibus: ità enim operans infallibile habeo omnis conſolationis principium, quia novi, quòd tu ipſe omnia, quæ mecum fiunt, ab æterno ità diſpoſueris; ex quo igitur rerum eventu conturbari, & affligi potero, ſi mecum ſit tua gratia?

7. Mihi ſufficit noſſe, quòd tibi Deo altiſſimo fuerit ab æterno placitum, me in talibus ponere circumſtantiis, in quibus unam, & alteram tribulationem experiri, & tolerare deberem: atque ideo jam mihi ad nihil prodeſſet, ſi contra adverſitates vellem inque-

querelas coram hominibus prorumpere; & tantò magìs non bene agerem, ſi auderem coram te conqueri; tu enim pro bono meo diſpoſuiſti omnia. Vult quidem natura corrupta pro tempore hujus, vel alterius tribulationis ſe opponere, quia ſibi contrariantia ſumit, prout veniunt, non autem ſurſum ſe elevat, ut noſſet, cuncta diſponi per tuam providentiam, & quia inter adverſitates ſe movet, hinc neceſſum eſt, contra agere per principia, nempe ſupernaturalia; operans enim juxta naturæ corruptæ inſtinctum a brutis animantibus non diſtinguerer. De reliquo in quibuſcunque eventibus, gaudioſis nimirum, vel contrariis, hanc impoſterum tenebo regulam: *mi Deus! mibi ſufficit, quòd tu ſcias: ità velis, ità ordines.*

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XCVII.

8. CUnctis hominibus ſimilis eſt ingreſſus ad vitam, & ſimilis de iſta exitus: hìc naſcitur infans in regali palatio, ibi in rurali domuncula; & uter-

uterque exordium vitæ in mundo facit per lachrymas; per has autem quid uterque vult innuere? nihil aliud, niſi quòd in vallem lachrymarum devenerint, & ideo jam debeaut eſſe ſubjecti multis tribulationibus, & miſeriis.

9. Tu Deus nos omnes ſimiliter ad tuam creaſti imaginem, quomodo igitur fit, ut grandem, diuturnamque crucem imponas uni, alteri verò hanc allevies, ità tamen, quatenus & iſte poſſit ad vitam æternam pertingere? unus nempe eſt pauper, alter habet bonorum temporalium abundantiam: iſte undique derelinquitur, & condemnitur, ille ex ſublimi honorum gradu eminet, multum coram mundo ſplendorem faciens! alius frequentibus, gravibuſque corporis infirmitatibus ſubiicitur, alter optima, & diuturna gaudet valetudine: quomodo iſta contingunt?

10. Qui reſpicis humilia in Cœlo, & in terra, parcere dignaberis, dum iterum in mea ſimplicitate ſum locutus; hoc ſcio, & eſt infallibilis veritas, quòd tua providentia ſuper tua infinita ſapientia, bonitate, juſtitiaque ſe fundet;

det : hoc ſimiliter novi, quòd judicia tua magìs diſtent a judiciis hominum, quàm Cœli a terra exaltentur; quapropter, ſi ego poſſem ſuper factis quæſtionibus rationem in ordine ad tuam providentiam adducere, tunc plura noſſem, quàm omnes Angeli, quia ne quidem iſti ſciunt, cur tu tam diverſas nobiſcum hominibus diſpoſitiones feceris : & ſi hoc noſſent; tua providentia incomprehenſibilis, & infinita eſſe deſineret.

11. Tu Deus mundum, ac perinde me quoque pulverem, & cinerem ità dilexiſti, ut dares filium tuum unigenitum, & quidem taliter, ut ipſe triginta tres annos deberet in laboribus, doloribus, & ærumnis conſumere, in fine autem poſt paſſionem amariſſimam, fuſumque omnem pretioſiſſimum ſanguinem, in Cruce mori : & ego jam interrogare præſumerem, cur tu hanc, vel illam tribulationem immittas? abſit a me omnis quæſtio, quia mihi ſufficit, quòd noverim, cuncta a te ordinata, vel permiſſa, cedere ad æternam meam ſalutem, & augmentum gloriæ.

12. Hujus mundi mala pati non eſt malum,

malum, & minùs peccatum; tu Deus opt. max. mihi non prohibes, ne mala, ſeu contrarietates, & miſerias patiar, unde hæ proveniant: deſideras autem, ne ulli malum pro malo reddam. Quare, ſi volo perfectè, & perſeveranter unitus cum tua providentia vivere, attendere non debeo, quid vel a quo patiar, ſed ad quem finem tendam, & quòd rectè ſic tuæ divinæ majeſtati ſit placitum.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XCVIII.

De Prædeſtinatione.

1. Dixi, aut te Deum meum, & Dominum meum intuebor in æternum facie, ad faciem, aut viſione beatifica in æternum ero privatus; unum eſt neceſſarium: medium quippe non datur. Jam autem novi ſemel latam, & irrevocabilem ſententiam, quæ me facit contremiſcere, *multi* nempe *ſunt vocati, pauci verò electi*. De quali igitur numero ego ſum? an de primo, vel ſecundo! ille eſt major, iſte autem minor. O Deus! hic nihìl habeo reli-

reliquum, niſi ut ſub viva fide, ſpe firma, & profundiſſima humilitate, tua inſcrutabilia adorem judicia.

2. Tu quidem alia incomprehenſibilia myſteria nobis nota feciſti, nimirum Sacroſanctæ, & individuæ Trinitatis, & incarnationis divinæ, myſterium autem prædeſtinationis tibi ſoli ſervaſti; ſi enim unuſquiſque homo prænoſſet, an ſit electus, vel reprobus, fides, & ſpes quoad ſalutem æternam deſinerent; ex quo per has ſupernaturales, divinaſque virtutes modica, vel nulla colligerentur merita: quin imò evidens eſſet periculum, ne pro illis congregandis, cùm ſine arduitate fieri non poſſint, omnis ſolicitudo, & labor evaneſcerent.

3. Sapientiſſime tu Deus tibi ſoli reſervaſti prædeſtinationis myſterium; ſecus enim quanta inter mortales oriretur confuſio? imò, prout mihi videtur, mundus deberet ante tempus a te præfixum deſinere; electi quippe nollent tractare cum reprobis, hi verò, utpote in ſtatu continuæ deſperationis conſtituti, illos ad mortem uſque perſequerentur, & circuirent maledicentes,

tes, ac blaſphemantes. Hæ igitur ſunt cauſæ, quas ego ipſe agnoſco tamquam graviſſimos, cur prædeſtinationis myſterium tibi ſoli reſervare volueris.

4. Mihi itaque, o Deus, eſt ſufficiens, quòd certò ſciam, me eſſe electum, dummodo velim ipſemet; me enim peccaſſe, confiteor: me tamen fore æternæ ſalutis filium, ſi ago pœnitentiam, & ſaltem deinceps mandata tua non gravia fideliter ſervo, credo tam firmiter, qualiter credo, te eſſe Deum. Iſtud autem denuo certiſſimum eſt, quod ſim acturus pœnitentiam, & ſervaturus mandata tua, ſi ſeriò velim ipſemet; tuam enim gratiam ad unum, & ad alterum paratam eſſe novi, & nihil requiritur, niſi ut eam acceptem, & pro viribus cooperer.

5. Ex parte tua verò, o Altiſſime, multò magis certificor, te ſeriò velle, ut in æternum ſim ſalvus, quia vis, omnes homines, adeoque & me ipſum, ſalvos fieri. Stat igitur hæc aſſertio tamquam certiſſima veritas, *electus ſum, & ſalvus ero, ſi ſeriò ipſemet velim*, quamvis non ſciam decretum, quod tu ab æterno fuiſti; ſcientia enim

hujus

hujus decreti a me utpote creatura, non requiritur, ſed unicè eſt neceſſum, ut ſuper peccatis agam pœnitentiam, & ſervem mandata tua: ad utrumque autem ſum ſeriò determinatus, & mediante tua, quæ mihi non deeſt, gratia exequar.

AVE MARIA

SOLILOQUIUM XCIX.

6. NOvi, quòd meæ, & omnium ſalutis infenſiſſimus hoſtis diabolus cum hac tentatione, *tu non eſſe electus*, veniat, & inſiſtat; ſed & ego cum tantò majori fiducia me ad te Deum meum, & Dominum meum converte, utpote ſciens, te ſeriò velle, ut ſalvus fiam; cur enim secùs dediſſes pro me tuum unigenitum filium, & quidem taliter? cur ipſe poſt tot labores, & ærumnas, poſt tantam paſſionem, poſt fuſum pretioſiſſimum ſanguinem, propriam pro me poſuiſſet animam? hæc fecit, & paſſus eſt, volens nempe, ut de morte ad vitam reſurgerem, & fierem æternæ ſalutis filius.

7. Quid innunt ſacra, quæ jam ad

dexteram tuam ſedens in manibus, & pedibus retinet, ſtigmata, quid loquitur latus apertum? nihil aliud, niſi quod meam ſalutem æternam pluſquàm ſuammet vitam dilexerit? ad quid dignatus eſt SS. Sacramenta, tamquam gratiarum fontes inſtituere, & inſuper tot, tantaque parare media? an igitur his ſtantibus vel a longè poſſem in cor meum admittere diffidentiam, quaſi non eſſem de electorum numero? & nonne tu Deus millies ampliùs, quàm ego ipſe, meam ſalutem deſideras?

8. Verum quidem eſt, quòd, quantum habes pro ſalute mea deſiderium, qualiter velis, ut & ego cooperer, quatenus paſſionis, & mortis unigeniti filii tui, Redemptoris mei Clementiſſimi, fiam particeps; ab inde enim tota mea ſalus dependet. Vis inſuper, & juſtiſſimè, ut ſatagam per bona opera certum facere ſalutis æternæ negotium, pro quo, & unico hunc mundum ſum ingreſſus; tu namque abſque meis meritis creaſti, & redemiſti me, ſinè iis autem non ſalvabis me, ut nempe coram immortalitatis conſequerer, abſque eo, quòd priùs in agone certaſſem,

taſſem, & viciſſem, ac perinde congregaſſem merita.

9. Non ſufficit, dum quotidie, & ſæpius repeto, *adveniat regnum tuum*? quot enim hoc ipſum dixerunt, & modo, ac in æternum ab eo ſunt expulſi, ingemiſcuntque ſub inferni cruciatibus? quot & hodie pro regno tuo poſtulant, nec tamen in iſtud intrabunt? & cur? quia pro congregandis meritis, & exercendis virtutibus nullam habent ſolicitudinem, regnum verò ſuum quærunt, & tenent in mundo; alii nempe inter delectamenta ſenſuum; alii inter divitias: alii ex præeminentia in honorum gradibus. Si igitur electus eſſe cupio, neceſſum eſt, ut in virtutibus ſecundùm conditionem mei ſtatus me exerceam, & merita congregem: neceſſum eſt, ut contemnam temporalia, hiſque aliter non utar, niſi tamquam mediis, quatenus ad finem, ad te nempe Deum, verum, ſummum & unicum bonum poſſim pertingere: & hæc ſi fecero, prout hæc omnia mediante tua gratia ſunt in meis viribus, .mquid adhuc dubitare poſſem, an ſim inter electos? abſit a me

omne dubium : tu , mi Deus , vis , ut ſalvus fiam , & ego firmiſſime ſpero , fore , ut ſalver .

AVE MARIA

SOLILOQUIUM C.

10. NEſcit homo , an ſit amore vel odio dignus , etiam quando fecerit omnia , ad quæ facienda adſtringitur : tanto magis igitur ego , o Altiſſime , neſcio , an ſim tuo amore dignus , & perinde electus , quia novi , quòd omnia non fecerim , quæ potuiſſem , & debuiſſem facere ; quid ergo ? an de prædeſtinatione ad ſalutem dubium concipiam ? abſit : abſque omni diffidentia pergo ſperare , me eſſe electum .

11. Parce Domine , dum cum quæſtione jam facta revertor : cur prædeſtinationis myſterium tibi ſoli reſervare conſtituiſti ? nunquid non ideo , ut tantò magis cum metu , & tremore operarer ſalutem , & non præſumerem quempiam , ſi foret peccator graviſſimus , & publicus , contemnere ? non enim ego , ſed tu noſti , an ille per tuam gra-

gratiam ſit convertendus, & acturus pœnitentiam, ut adhuc evadat in ſanctum, & in Cœlo ad ſublimem gloriæ ſedem perveniat; at verò de me ipſo optime novi, quod, ſi tuam gratiam ſubtraxeris, ſim pervertendus, ut perinde male vivam, in peccato moriar, & in æternum peream: atque hoc eſt, quod poteſt me (& quemlibet hominem) compellere, ut cum metu, tremore, & humilitate, operer æternæ ſalutis negotium.

12. Quidquid jam ſit ſuper prædeſtinationis myſterio, hanc impoſterum tenebo regulam: quoad illud humillimè adorabo tua incomprehenſibilia judicia. Cæterùm firmiter ſtatuo tibi Deo meo, & Domino meo fidele ſervitium reddere, non tamquam mercenarius propter mercedem, ſed quà filius erga Patrem; atque hinc ex unico amore tibi ſerviam, propter Cœlum tamen, & ut præmies me, & ut ego in æternum diligam, & glorificem te.

13. Tu ex amore mei factus es homo, & me plus dilexiſti, quàm temetipſum, quia pro me dediſti vitam, & ſanguinem: & quid ego tibi reddidi pro

tot, tantiſque beneficiis? heu exhibui multa nimis ingrati animi teſtimonia; pro pauculis verò bonis, utpote factis ad tuam gloriam, abundantem jam tribuiſti mercedem, ut, quidquid vellem pro iſta reddere, ſufficienter non poſſem eſſe tibi gratus, quia dando vitam, & ſanguinem non darem, niſi ea, quæ tua jam antea ſunt. Dixi igitur, impoſterum ex unico amore, & tamquam filius tibi ſerviam, ſed tamen propter Cœlum, & ut per iſtud præmies me, & ut ego in æternum amem, laudem, & glorificem te.

14. Domine Deus! ſeriò corde recogitans, quis tu ſis, & quis ego ſim, agnoſco, quòd, dum mihi, qui coram te ſum tamquam nihilum, conceditur te diligere, etiam non niſi pro momento temporis, hoc ipſum pro mercede ſuperabundanti jam ſufficeret, quamvìs pro hac dilectione momentanea centum annorum paſſio foret neceſſaria. Quid nunc dicam ampliùs? an pro pauculis meis operibus expectabo mercedem æternam, ut poſſim te in æternum diligere? ità eſt, ſpero, & indubitanter, me eſſe de electorum numero:

mero: & ideo nunc ex unico amore, & tamquam filius tibi ſerviam, ſed tamen propter retributionem, ſeu Cœlum, & ut iſtud tamquam mercedem conſequar, & ut in æternum, diligam, laudem, & glorificem te.

15. Fixum jam eſt, & ſeriò: te Deum meum, & Dominum meum diligam ex toto corde meo, ex tota anima, ac in omni fortitudine; & nihil, quod eſt in mundo, me a charitate ſeparare poterit: dilectio proinde ſit mea unica felicitas, diligam te, quamdiu in tempore, ſeu in vita mortali peregrinor a facie tua; in æternitate diſpone de me, prout tibi eſt placitum, quia es Deus meus, & Dominus meus: quidquid autem diſpoſueris, non niſi rectum, non niſi juſtum, non niſi ſanctum eſſe poteſt. Dixi, diligam te, quàmdiu vivo: ſcis autem, quòd credam, & ſperem, me eſſe electum, ut cum omnibus ſanctis, horùmque Regina glorioſiſſima te in æternum diligam, laudem, & glorificem, quia tibi ab omni creatura, atque ideo etiam a me, debetur omnis honor, & gloria. Amen.

CENTUM ORATIONES JACULATORIÆ

Deductæ ex præcedentibus Centum

SOLILOQUIIS.

1 DEus meus, & omnia! primum meum principium, & finis meus ultimus: in te credo, in te ſpero, te diligo.

2 Utinam omnis homo te agnoſceſceret, te diligeret, ſanctificaret nomen tuum, & faceret voluntatem tuam!

3 O' Deus, quàm ſerò cognovi te, quàm ſerò amavi te!

4 O' Altiſſime! ſi te noſſem, ſi & me noſſem! diligerem te, & odio haberem me!

5 Tu es Deus meus. & Dominus meus: & extra te non noviDeum.

6 Tu es Deus meus, & unicum, ac ſummum bonum meum: & tuam bonitatem à nemine habes, quia tu es bonum, à quo omne bonum eſt.

7 Tu

7 Tu es omnia : nihil tamen es de omnibus, quæ feciſti.

8 A te, ex te, & per te ſunt omnia: tu tamen es ſuper omnia, quia Deus es.

9 Unus Deus : una fides : unum baptiſma; utinam & ego tecum ſemper ſim unum!

10 Sanctus, Sanctus, Sanctus es tu Domine Deus Sabaoth: pleni ſunt Cœli, & terra Majeſtatis gloriæ tuæ.

11 Sanctus Deus. Sanctus fortis, Sanctus immortalis! miſerere mei!

12 Gloria tibi, Pater! gloria tibi, fili! gloria tibi, Sancte Spiritus! ſicut ab æterno, ſic per infinita ſæcula.

13 Ad tuam, o Deus, me creaſti imaginem: ego autem, cùm in honore eſſem non intellexi, nec corde recogitavi.

14 Utinam cuncti mortales te agnoſcerent, te adorarent, te diligerent, ò beata Trinitas!

15 Ah quando veniam, & apparebo in conſpectu tuo, ut facie ad faciem intueor, adorem, & glorificem te, ò beata Trinitas!

16 Beati, qui habitant in domo tua. Domine, in ſæculum ſæculi laudabunt te.

17 Quàm ſunt dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit, et deficit anima mea, donec in atriis tuis compareat

18 Hei m!hi, quia incolatus meus prolongatus eſt, ut te Deum unum, et trinum faciem intueri non poſſim.

19 Quis me liberabit de carcere corporis mei, ut tibi Deo meo adhęream, & tecum unus Spiritus ſim?

20 Tu eternus Pater es totus in filio: tu unigenitus Dei filius es totus in Patre: tu Sanctus Spiritus es totus in utroque; et hoc non capio, adoro autem humillimè, et ardenter diligo.

21 Pater noſter, qui es in Cœlis! ſanctificatur nomen tuum: fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra.

22 Pater meus es tu, qui creaſti me, & in in filium ſuſcepiſti me.

23 Ah quantùm optarem, ut & ego

eſſe

eſſem perfectus, ſicut perfectus es tu Pater cœleſtis.

24 Agnoſco ò Pater! quantam dilectionem mihi exhibueris, ut filius tuus nominer, & ſim.

25 Pater! peccavi in Cœlum, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus.

26 Tu es Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui dignaris me in omni tribulatione conſolari.

27 Agnoſco te Parrem meum, qui in Cœlis es: quantùm doleo, quod te non ità honoraverim.

28 Tu, ò unigenite fili Dei, es ſplendor gloriæ Patris, & figura ſubſtantiæ ejus: generationem tuam quis enarrabit?

29 Tu Verbum æterni Patris caro factum es, & habitaſti in nobis: dilectionem tuam quis enuntiabit?

30 Tu, mi Jeſu, factus es pauper, & contemptibilis: & ego non agnovi, quia ità me æternaliter ditare, & exaltare deſideras.

31 Tu Redemptor meus triſtis es uſque

ad mortem : & ego lætor , ſciens iniquitatem meam.

32 Tu mi Jeſu taces ad calumnias , & falſa teſtimonia : & ego ſuper modica tribulatione conqueror .

33 Amatiſſime Jeſu , tua humilitas fecit te noviſſimum virorum , cui non erat ſpecies, neque decor : tua charitas te exaltavit uſque ad thronum Crucis .

34 Amor meus , ò Jeſu ! ò Jeſu amor meus , tu crucifixus es .

35 In manus Patris tui , qui in Cœlis eſt , commendaſti ſpiritum tuum : in manus tuas commendaſti ſpiritum tuum : in manus tuas commendo ſpiritum meum .

36 O' Jeſu ! moriens in cruce Redemptor:ò Maria ! juxta crucem ſtans, & compatiens Mater .

37 O' vulneratum , & amans cor Jeſu ! ò ſauciatum , & amans cor Mariæ ! vobis ex toto corde me trado .

38 O' Maria ! tuam ipſius animam pertranſivit gladius : per tuos dolores erve me à doloribus ignis æterni .

39 Exurge Chriſte Jeſu, adjuva me & propter nomen tuum libera me!

40 O' Jeſu! per ſignum ſanctæ Crucis libera me de meis hoſtibus!

41 Chriſte Jeſu! fili Dei vivi, miſerere mei!

42 Jeſu Nazarene Rex Judæorum, miſerere mei!

43 O' Amor Patris, & filii, ſancte ſpiritus! accende cor meum igne æternæ Charitatis.

44 Veni ſancte Spiritus: habita in anima mea: ubi tu es, ibi eſt pax, & tranquillitas, omniſque mali excluſio.

45 Veni Creator Spiritus! mentem meam viſita; tecum ſum dives, quamvis nihil de mundo habeam; ſinè te ſum pauper etiam ſub univerſi mundi dominio.

46 Æternus Pater, unigenituſque filius Dei ſe amant per te o Sancte Spiritus: utinam & ego diligerem Patrem, Filium, & te Spiritum Sanctum.

47 Credo, & confiteor, quod tu, qui feciſti omnia, ſis æternus, immortalis, & immutabilis Deus, quem

Cœli, & terra non poſſunt capere, qui tamen es totus in creaturis ſingulis.

48 Dextera tua omnipotens, Domine, creavit omnia in Cœlo, & in terra: ſinè te nihil eſt: & ego ſinè te nihil habeo.

49 Magnus ès, Domine, & immenſus: & magnitudinis tuæ non eſt finis: deſideras tamen à me vili terræ vermiculo diligi.

50 Te amplector, ò bonum, ſinè quo nihil eſt bonum: te amo, ò bonum! quia tu es ſuper omne bonum.

51 Ah ſerò cognovi te, o pulchritudo æterna! ſerò amavi te, ò pulchritudo infinita, & immutabilis.

52 Ah ſi te Deum cognoſcerem, ſicut tu inceſſanter memor es mei! ah ſi te diligerem, ſicut tu in charitate perpetua diligis me!

53 Extra te Deum nihil dulce, nihil amabile invenio, quia tu ſolus es fons veræ dulcedinis, & omnis boni.

54 Ego eram perditus, & quidem in æternum: & tu Deus veniſti in perſona propria, ut me quæreres, & vi-

& vivificares ad vitam ; ò immenſa charitas! quia voluiſti ut homo tuammet animam ponere, nè ego morerer.

55 Ego peccavi, & tu pateris : ego mortem æternam promerui, & tu moreris : ego procraſtinavi pœnitentiam, & tu fuiſti patiens ; miſericordias tuas in æternum cantabo.

56 Nè intres in judicium tuum Domine cum ſervo tuo, quia in conſpectu tuo non juſtificabor.

57 Tua providentia, Pater, Domine Cœli, & terræ, omnia diſponit, ac ordinat : & ego ſciens me ſub hoc vivere tam faciliter patior inquietitudinem, ac perturbationem animi.

58 Ego offendebam te, & tu conſervabas me : ego recedebam à te, & tu, nè penitus in profundum laberer, me retrahebas per gratiam. Hæc mihi feciſti : & hæc non recogitavi corde.

59 Erravi, ſicut ovis, quæ periit, & tu reduxiſti me : ego fui prolapſus, & tu erexiſti me : invocari te, &

exau-

exaudiſti me ; quid pro his omnibus tibi retribuam ?

60 O Deus ! ò ſummum bonum ! ò bonum ſuper omne bonum ! quia te ſuper omnia non dilexi , hinc doleo ampliùs , quia non habeo dolorem , quem deberem concipere .

61 Quò fugiam à facie tua ? tu enim in omni loco bonos , & malos obſervas .

62 Tu es Deus , magnus , omnipotens, atque terribilis , qui non reſpicis perſonas , aut munera .

63 O' monumentum ! ò æternitas ! in momento temporis actu ſum , ad æternitatem properans , & neſciens , quando hanc ingredi debeam .

64 Ante me iverunt , mecum ibunt, & ſequentur cuncti homines in domum æternitatis , beatæ , vel infauſtæ : & me quænam expectat ?

65 In loco , in quo ceciderit arbor , ibi erit ; prout vixero , ità moriar : erit itaque mors mea , prout volo ipſemet .

66 Ad tuam imaginem me Deus creaſti , unam duntaxat dans animam; hanc

hanc ſi perdidero, heu perditio eſt irreparabilis, & æterna.

67 Maximi Sanctorum contremiſcebant ad conſiderationem momentanei temporis, & interminabilis æternitatis: & ego huic fortè jam proximus ſecurè quieſco &c.?

68 Unum momentum vitæ meæ mortalis periodum claudet: ex quo in æternitate eſſe incipiam; fortè illud momentum erit hodie? hoc agnoſco: & tamen iſtius veritatis vivo immemor.

69 Recogito præteritos vitæ annos in amaritudine animæ meæ, & nihil mihi ſupereſt, niſi ut me convertam ad te Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis.

70 Credo carnis reſurrectionem: tunc & corpus meum immortalitatem induet, vel ad gloriam, vel ad ignominiam, & ignem: heu Domine Deus, unum eſt infallibile.

71 Quando cum Majeſtate magna ad judicandum venies, tunc manifeſta erunt opera mea, quin & ſecreta cordis: & quid reſpondere potero?

72 Quid ſum miſer tunc dicturus, aut quem patronum rogaturus, cum vix juſtus ſit ſecurus? o tremenda dies, quando contingent hæc omnia!

73 Tua ſententia, o juſtiſſime Judex, eſt irrevocabilis, vel ad gloriam, vel ad ſupplicium: medium non datur.

74 *Venite benedicti &c.* o gaudioſa ſententia! *diſcedite maledicti &c.* o terribiliſſima ſententia! hæc, aut illa me in æternitate locabit.

75 O Deus, tu creaſti me, ut te in æternum facie ad faciem intuear, & glorificem: heu! heu! quid hoc eſſet, ſi viſione tua deberem in æternum eſſe privatus, & neque poſſem deſinere?

76 Heu momentaneum, quod delectat, & turpiter! heu æternum, quod cruciat, & ineffabiliter!

77 Quid mihi prodeſſet, ſi pro momento temporis fuiſſem univerſi mundi Dominus, pro tota autem æternitate deberem eſſe pauper, & miſer, ac inſuper ſub inferni tormentis?

78 O ſi noſſem, & previderem noviſſima mea! beatus eſſem in tempore & completè beatus pro tota æternitate.

79 O Cœlum! quantùm terra in oculis meis ſordet, dum te intueor? tu non habes niſi gaudia: terra non habet niſi miſerias, quas peccata excitant, & promovent. O' Cœlum! ò terra!

80 Innocentia, aut pœnitentia eſt via ad Cœlum; ab illa receſſi: igitur ſecundam aggredi, & exercere debeo: quia autem ex me ipſo nihil ſum, tu Domine largire mihi gratiam, meque in bono conforta, & conſerva,

81 Regnum cœleſte, bonum immenſum, & æternum inquiro: an audebo recuſare laborem modicum, & paſſionem momentaneam?

82 Omnis tribulatio hujus mundi eſt quid leve ad gloriam, quam tu Deus diligentibus te præparaſti.

83 Oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non aſcendit, quid ſit cœleſtis gloria: & pro hac tu Deus non deſideras aliud,

aliud, niſi ut mandata tua ſervem, in dilectione maneam, & patienter feram crucem, quam mihi impoſuiſti: quid jam eligo?

84 Satiabor Domine, cùm gloria tua apparuerit: quapropter anima mea renuit conſolari in iis, quæ mundus habet, & dat ſuis amatoribus.

85 Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ità deſiderat anima mea ad te Deus, ut de facie ad faciem intuear, & perenniter diligam, ac glorificem.

86 O' Altiſſime, omne deſiderium meum eſt ad te, & ſuſpiria cordis mei tibi non ſunt abſcondita, ut te in claritate videam, & beatus ſim in te, quia extra te nihil eſt, ex quo ſatiari poſſem.

87 Quis mihi dabit pennas, ſicut columbæ? & volabo. & requieſcam in te Deo, bono ſummo, & beatitudine unica.

88 Tu, o Deus, es requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

89 O' Domine, tu es ſuſceptor meus, ho-

honor meus, & glorla mea: & extra te nihil quæro.

90 Sicut anima mea concupivit deſiderare juſtificationes tuas, Deus, in omni tempore, ſic tecum vult eſſe unita in diſſolubili charitatis vinculo.

91 Tu Domine in charitate perpetua dilexiſti me, & miſerans traxiſti cor meum: & ego in charitate perpetua te diligere cupio, ut tecum ſim in amore unum.

92 Particeps factus ſum omnium timentium te, Deus, & cuſtodientium mandata tua: particeps eſſe deſidero omnium te in claritate diligentium.

93 Quid eſt mihi in Cœlo, & a te quid voluî ſuper terram? tu Deus & ſolus es pars mea, & hæreditas mea in æternum.

94 Cor meum extra te Deum deficit, quia tu, & ſolus es omne bonum meum in æternum.

95 Fortis ut mors dilectio: mors a creaturis penitus ſeparat; & anima mea deſiderat ſeparari ab omnibus, quæ in mundo ſunt, ut te-

cem

cum conjungatur in charitate perpetua.

96 Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, ut te ſummum, & unicum bonum diligam: o ſi ſolus haberem amorem omnium, qui te perfectè diligunt! tali amore te diligerem.

97 Qui eſſet dominus totius mundi, & deberet de repentè hunc perdere, doleret, & vehementer. O Deus, te diligens mereor bonum, quod æſtimabilius, & majus eſt univerſi mundi pretio, quia mereor gradum cœleſtis gloriæ: dilectionem intermittens, dum toties poſſum diligere, quanto bono voluntariè privor?

98 Dixi: te Deum diligèns mereor unum gradum gloriæ; heu quot gradus negligo, dum te non diligo per horas ſingulas, ubi tamen pro qualibet hora poſſum ſæpius actus amoris elicere!

99 Paratum cor meum, Deus, ut te diligam, imò jam non meum, ſed tuum cor: huic ſi digneris multum amoris infundere, multùm te

dili-

diliget: per me igitur temetipſum dilige, quantùm nempe diligi deſideras.

100 Domine, tu ſcis: quia diligo te: & quis, aut quid de mundo a charitate me ſeparare poterit? diligo autem te; quia es Deus meus, & Dominus meus, ſummum, & unicum bonum: ſed te nunc diligo, ut in æternum cum omnibus Sanctis, & horum Regina glorioſiſſima te diligam.

Amen.

F I N I S.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

MG 20134S